Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155607-p0001-3

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Xh. 5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155607-p0002-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155607-p0003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155607-p0004-9

THEORIA NOVA COELESTIVM METEΩPΩN, IN QVA EX PLVRIVM COMETARVM PHOE-

nomenis Epilogiſticῶs quædam afferuntur, de novis tertiæ cuiuſdam Miraculorum Sphæræ Circulis, Polis & Axi:

SVPER QVIBVS COMETA ANNI M. D. LXXVII. nouo motu & regulariſſimo ad ſuperioribus annis conſpectam Stellam, tanquam ad Cynoſuram progreſſus, Harmoniam ſingularem vndiq; ad Mundi Cardines habuit, maximè verò medium Europæ, & exactè Germaniæ Horizontem non ſine numine certo reſpexit.

Authore Heliſæo Rœslin, Medico Tabernis Alſatiæ.

ARGENTORATI.
Excudebat Bernhardus Iobinus.
M. D. LXXVIII.

THEORIA MOTVS

COELESTIVM

METEORVM IN CVRVA EX

PLVRIBVS OBSERVATIONIBVS

PRAEFATIO DE NOSTRI TEMPORIS PRODIGIIS, PRAESERTIM ANNI M. D. LXXVIII.

POstquam varias variorum de Cometa Anni 1577. opiniones & ſcripta evolviſſem: majorem authorum partem eò propendere deprehendi, vt alij illum elementarem & ſublunarem facerent, alij verò prę teritis Cometis omninò ſimilẽ & ęqualem. Cum vero diligenti hiſtoriarum de Cometis lectione & collatione, crebra item & aſſidua huius inſpectione, & exactioribus obſeruationib⁹ Doctiſſimi Viri Domini Cornelij Gemmæ cognitũ tandem ſit & compertum, rem multò aliter ſe habere, quàm multi in publicum evulgarunt: illi ſanè nihil aliud ſcriptis ſuis effecerunt, quàm vt ſumma Dei miracula obſcurarint: hi verò ſceleratiſſimo & protervo huic ſœculo licentiam dederunt & ſecuritatem incuſſerunt. A quibus vtrisq;, vtpote deteſtandis vitijs, vt liberet Deus Omnipotens & miſericors humanum genus, pro ſua bonitate, nihil intentatum relinquit, ſemper vnum alio nectens & ſubmittens Signum, vt oſtendat, alia multò nos vrgere eventa, quàm notarint illi Aſtrologaſtri, illa videlicet poſtremi temporis, de quibus Salvator prædixit, quod talia non fuerint à condito Mundo: quæ tempora imprimis etiam celebria futura ſint ex Signis multis in Sole & Luna & Firmamenti Stellis. Quare vt ſaltem referam quę proximis elapſis annis evenerunt, & Luminarium Eclipſes omittam: Sydus illud novum Anno 1572. à Novembri per integrũ annũ & aliquot menſes vidim⁹, quale vel ab initio Mundi prodigiũ majus nullum conſpectum eſſe ab omnibus ferè ſcriptoribus annotatum eſt. Mox ſequẽti Anno 1575. duo Chaſmata, portenta ſanè quàm maxima & horribilia ſecuta ſunt: quorum primum Menſe Februario, alterum in Vigilia Michaelis eo planè ordine à me conſpectũ eſt, quo à Domino Cornelio Gemma deſcriptum, cum prælijs, nubium fluctibus, velitationibus, flammarũ globis, & alijs mirabilibus omnem dicendi facultatem ferè exuperantibus. Superiori verò 1577 anno &

Cometam illum terribilem, & medio durationis eius tempore, aliud portentum in Ducatu Vvirtenbergenſi videndum exhibuit Deus 5. Decemb: die, ſtatim poſt Solis ortum ad horam 10. diei vſque, quod diris phantaſmatibus innexum erat, præſertim pileis varijs & verſicoloribus in terram quaſi decidentibus. Si verò Cometam ipſum ſpectes, non invenies ex hiſtorijs, qui magnitudine, Luminis ſplendore, formæ raritate, motus item certitudine cum illo comparari poſſit.

His tamen omnibus nō contenta incredula & phariſaica hominum natio, plura ſigna petit, prætendens æquè magna antea conſpecta eſſe, & magis etiam miraculoſa & terribiliora: gravioraque accidiſſe quàm nunc fieri poſſint. Quare vt ſatis ac ſuper etiam moneat Deus, & homines ſignis quaſi obruat & obtundat, nō vnicum ſed plura vnica nocte mittit prodigia & portēta, quę hoc anno 1578. 16. die Maij, poſt Solis occaſum circa 9. horam, & deinceps viſa ſunt, non quidem à me, qui tum peregrè abfuerim: cum tamen illa primum à familia, deinde ſcripto ad me dato confirmari acceperim, neutiquam prętereunda, ſed poſteritati mandanda eſſe duxi. Sic autem ad me ſcripſit Clariſs. vir D. D. Samuel Siderocrates Aulæ Spirenſis Medicus: Nova nihil habeo, quam 16. die Maij Vvormatiæ conſpectum eſſe Cometam ſatis prolixa cauda, & inſecutos alios duos minores Cometas aut Stellas caudatas, & è diverſo flammas ignis apparuiſſe, & mox evanuiſſe rurſum. Luna fuit in Libra iuxta Iovem & iuxta Lineam Medij Cœli. Non procul ab illa verſus ortum apparuerunt Cometæ aut Stellæ tranſcurrentes. Et inter ortum & Septentrionē ignis flamma ècontra volavit, vt in Figura adjuncta vtcunq; videri poterit, quam depingi curaui ex alia charta, quæ fuerat oblata ab his, qui ſpectatores eorum portentorum fuerunt. Hæc ille. Quantum autem ex Familia habeo, duos ſaltem obſervarūt Cometas vel *Stellas* caudatas. Nam impediti loci & proſpectus incommoditate, præcedentem illum cum cauda longiore nō animadverterunt. Vnum ſupra Lunam, alterum aliquantulum minorem infra Lunam, eamque ſequentem.

Num ille fuerit tertius qui reliquos duos ſtatim ſequitur, du-

bium

bium est: Cum enim pictura tres supra Lunam ponat, eam ferè antecedentes: illum infra Lunam alium & quartum fuisse judico, non tamen in Figura positum, quod reliquis minor fuerit & obscurior. Illos Cometas autem instar Stellarum maiorum fuisse affirmant caudam protendentes versus Septentrionem ferè. Congeriem autem Stellarum magnarum, & impensè lucidarū Cometas hos sequi animadverterunt versus ortum, ita tamē vt plurimę illarum magis ad verticem ascenderint, circa Tropicum Cancri fuisse. Cometas autē superiores in Parallelo caudę Leonis, inferiorem in Parallelo ferè Corvi fuisse colligo. Stellas autem tanti splendoris & ruboris fuisse affirmant: vt Iovi etiam propinquo, & magnitudine & luminis fulgore non cesserint. Cometas nonnihil pallidos & albicantes, manifestè tamen conspicuos, cum cauda in latum magis quàm in longum extensa. Et hæc ex Familia.

Admonet me huius Visionis relatio Stellæ illius inopinati & insolentis, quæ (vt Nicephorus scribit) 6. anno Imperij Gratiani (qui fuit Christi Domini 393.) in Cœlo mediæ noctis tempore prope Luciferum refulgens apparuit, circa eum ipsum, qui Zodiacus dicitur, Circulum. Ea, quod propter Coruscantis radios ingens & lucida esset, non admodum Lucifero cessit: paulatim verò ad eam ingens etiam aliarum Stellarum vis aggregabatur. Spectaculum id, si vidisses, apū examini, quæ circa ducem suum in orbem obvolvuntur, contulisses. Hæc Nicephorus. Quantum igitur ad Cometas attinet, illud singulare est, quod caudam non in oppositum Solis habuerint, sed Lunæ potius. Illud num ex φλογώσει ex inflammatione fuerit, an ex radiorum refractione versus Lunam, (ἀνάκλασις dicitur,) aliorum esto judicium.

Illud inprimis notandum Cometas cum Stellis intra Tropicos constitisse, & in ijsdem Cœli domicilijs etiam conspectos fuisse in 8. 9. & 10. quibus Cometa Anni superioris, etiam Tropicorum Limitibus inclusus. Quo tempore Sol, Venus & Mercurius, Martis Quadrato pulsati, in ijsdem etiam Subterraneis locis fuerunt, in oppositis exactè Constellationibus iuxta oculum Tauri, de natura Martis, vt antea Sol, Luna & Mercurius

iuxta cor Scorpij eiuſdem naturæ, Luna autem, & Iupiter in media Epicycli parte Stationarius, in cauda Draconis conjuncti, in præcipuo Cœli loco, Aequinoctio autumnali, à principio viſionis iuxta lineam Medij Cœli ſteterũt: Mox verò nonam domum peragrantes, eandem prorſus Figuram Cœli ſecundum duodecim ſigna exhibuerunt, qualem Cometa ſuperioris Anni in Horizonte poſitus: oriebatur autem punctum Solſtitij Hyberni ferè. His igitur omnibus ſic poſitis, cum ignis flamma volaverit è-contra inter ortum & Septentrionem: ſequitur, vt circa Conſtellationem Caſſiopeiæ eruperit, ex loco ferè Stellæ novæ, quæ conſtellatio tum poſita fuit inter ortum & Septentrionẽ, è contrario etiam & Cometarum & Stellarum harum diſcurrentium. Ex eadem illa Cœli parte, Mars etiam infra Horizontem latebat adhuc.

Sequitur item priore figura Cœli poſita, quod à Zenithe elevat, 52. & 53. Graduum circiter, æqualis diſtantia ſit ad Aequinoctium autumnale, in quo conjunctio Iovis & Lunæ fuit, & ad locum Stellæ novæ in Caſſiopeia, & inde etiam ad Aequinoctium vernum 60. graduũ circiter, quæ itidem declinatio fuit Stellæ ab Aequinoctiali. Sequitur tertiò propter ſingularem Symmetriam prædictam cum Stella & Cometa ſuperioris anni, hoc portẽtum illorum quaſi ſobolem eſſe, quorũ ea eſt præſtantia, vt quicquid portentorum eſt vſpiam, his locis & temporibus efflorescens, quaſi ad illorum ambitum & capitale judicium referantur. Quare longè etiam excellentioris naturę & ſignificationis erunt, quàm vel ſomniare potuerunt, malè illi feriati vates. Quod vt omnes intelligant, demonſtrabo hoc ſcripto Cometam Anni ſuperioris nec elementarem & ſublunarem fuiſſe: nec vulgarem & naturalem: ſed Metaphyſicum & ex inſolitorum ſignorum numero, & ſingulari providentia exhibitum: vt ſic partim Deo redeat & tribuatur majeſtas & gloria in admirandis ſuis operibus: partim verò homines officij ex inſolitis iſtis ſignis admoneantur. Etſi verò hoc abundè ſatis à Domino Cornelio Gemma ſcripto ſanè doctiſſimo & graviſſimo ſit pręſtitum: tamen cum etiam quędam peculiaria in iſto Comete obſervaverim, quæ ſententiam

partim

partim vniverſalem ejus de Cometis (in quam manibus quaſi & pedibus eo) partim huius Cometæ magnitudinem illuſtrent, in communem omnium gratiam poſteris tradenda judicavi.

Si verò hoc inſolens tibi videatur, quod Cometæ huius Phœnomena per circulos & Polos novos, ceu Centra certa & Orbes ſalvare conatus fuerim, quod hactenus à nullo vnquam ne tentatum quidem: cum altius equidem petenda ſit natura Cometarum, quàm hactenus à Peripateticis factum: & illorũ quidam ad æthereas regiones accedant: cur non liceret etiam illorum apparentias, non minus ac planetarum ex certis orbibus ſalvare. Si verò non ad amuſſim tibi ſatisfecero, non eſt quod ſtatim noſtra rodas, cum ne planetarum, quidem motus exactè adhuc ſint cogniti & traditi ab Aſtronomis: Sed tuum potius fuerit noſtra amicè iudicare & interprætari, & ſi quid ex hiſtorijs Cometarum amplius tibi cognitum fuerit, noſtris addere & confirmare. Ego officio meo ſatisfeciſſe putavero, ſi alijs me doctioribus anſam ſaltem & occaſionem de his rebus vlterius cogitandi dedero: & Phyſicos monuero, altius philoſophandum: & ſublimiora multò eſſe illa, quàm vt rationibus ex exhalationibus deſumptis defendi poſſint: vt diſcant in poſterum piè potius admirari talia ſumma miracula, quàm ethnico more Deo derogare, eo ipſo q̃d illum cauſis ſecundis alligare volunt, & in æthere conſiſtere poſſe, Cometas ſemper negant: antequam ex obſervationibus exactioribus planè conſtet, num ibi ſint vel fuerint aliquando, quod 2. Poſt: Anatlyr: Ariſtoteles etiam alibi non faciendum docet.

Caput

CAPVT I.

De principio Loci & temporis Cometæ, Anni 1577. de Progressu, item & Fine.

POstquam novus ille COMETA, insolens sanè præco, communiter conspectus fuisset, die 12. Novemb: Anni 1577. sub vesperam versus Solis occasum: deprehensus fuit ratione principij, vel capitis considerata longitudine, constitisse circa 6. gradum Capricorni in Sagittario Stellato & Iovis quadrato aspectu: Latitudine verò ab Ecliptica versus Aequinoctialem declinasse ad 4. gradus: 14 deinde die à me primum conspectus supra Saturnum positus fuit, circa 11. Grad. Capricorni cum latitudine $7\frac{1}{2}$. Graduum. Caudam verò versus ortum Solis brumalem porrexit in cornua Capricorni vsq;: quæ cum in finibus illius Signi constituantur: colligitur inde in longum fuisse exporrectum Cometam ad 20. gradus ferè, cum flexura tamen ad Meridiem.

Quare cum ab initio motus illius diurnus in longitudinē fuerit trium ferè graduum Latitudinis 2. ferè: Concludimus inde proportionaliter, q̃d ab initio circa 9. Novemb: diem, quo tempore quibusdam primum circa Novilunium conspectus fuit, in ipso puncto Solstitij Hyemalis exortus fuerit in Ecliptica & via Solis

Qui verò principium Cometæ in Octobrim conijciunt, ortū eius referunt in 20. gradum, Capricorni ad Eclipticam ferè. Inde Retrogradationis motum tribuunt per Caput Sagittarij Stellati ad Galaxiam vsque & Colurum Solstitiorum, in quorum contactu ferè stationem (vel motum tardissimum in Latitudinem saltem) à principio Novembris ad Novilunium prædictum vsq; habuisse affirmant. A 9. vero eiusdem Mensis die directum Cometam faciunt in consequentes Signorum Gradus, vt nos, versus Aequinoctialem scilicet. 14. igitur die Saturnum post se relinquens vlterius versus Antinoum progrediebatur, ferebaturque sub Aquila ita, vt cum fines ♌ egrederetur, à maxima Solis Declina-

clinatione, quæ 23 ½. Graduum est, pervenerit in Aequinoctialem Circulum, quem pertransivit etiam circa 21 Novemb. diem, emensus sic in longitudinem 30 Gradus à principio Capricorni, ortus scilicet loco, vel à quo directus esse cœpit. Latitudine verò ab Ecliptica distabat tum per 20 gradus, Caudam intendens secundum Longitudinem Aequinoctialis versus ortum Solis æquinoctialem & Lunam versus, in Aequinoctij Signo tum constitutam. Exortus igitur, ac ab initio progressus etiam Cometa in recta linea ab occasu Hyberno, versus ortum æstivum (quam medij motus Cometę lineam censemus, vel ob hanc causam etiam, quod per medium caudæ Cometę extendatur) post medium ♃ nonnihil ab ea declinare cœpit superius, ac si cursum versus Cassiopeiam direxisset: Tum deinceps verò declivius movebatur, donec redierit iterum in lineam versus solstitiū æstiuale, fluentem caudam etiam intendens versus ortum Solis æstivalem. Quare mox supra Aequinoctialem Martis Quadrato pulsatus, in Trigono bono Iovis, sub Delphino ferebatur ad nares & rictū equi minoris, quo pervenit 2. Decemb: die. Inde adhuc declivius parum (declivitate illa non ad Aequinoctialem, à quo semper magis recedebat, sed ad motus Cometæ mediam lineam relata) cum manifesto decremento, versus Pegasi pectus movebatur in rictu Pegasi tardius quàm antè in Capricorni Signo, excedens Aquarium modò post medium Decembris. Venus autem motu suo properans, Quadrato Cometam ferit, in principio Piscium positum, qui tardissimo inde motu progressus ad crura Pegasi, in 12. gradu Pisciū vltimò à me conspectus fuit, ipso Novilunij tempore: 7 die Ianuarij, iterum nunc & vltimo Martis Quadrato pulsatus. Alij verò progressum illius extendentes ad medietatē Piscium vsque, disparuisse modò affirmant post medium Ianuarij, paulatim semper prius consumptum, ita vt 18. Ianuarij, illius tenue saltem vestigium effulserit ad gemellas stellas in pectore Pegasi, vt Cornelius Gemma habet. Sic spacio 13 dierum integrum Capricorni Signum emensus, duplum insumebat in Aquario, 26 dies videlicet, duplum etiam in Piscibus 21 scilicet dies, in 12 saltē prioribus Gradibus Piscium perficiendis, vel 26. dies in 15 gradi-

bus Piſcium perficiendis, vel 26. dies in 15. gradibus. Reliquos dies ſtando potius quam progrediendo abſolvit, donec omnino extinctus fuerit.

TABVLA MOTVS COMETAE, TVM LONGITVDINIS A PRINCIPIO CAPRICORNI, tum Latitudinis ab Ecliptica, tum Declinationis à Tropico Capricorni, ex Obſervationibus partim authoris, partim Cornelij Gemmæ.

		CONSTELLATIONES.	Longitudo	Latitudo	Declinatio	Signa
Anno 1577 Novembris.	9	Cometa exortus in puncto Solſtitij Hyemalis in Contactu Galaxiæ & Coluri Solſtitiorum.	0	0	0	Capricorni
	12	in Sagittario Stellato	6	4	4	
	14	ſupra uerticem Sagittarij, caudam uibrans in cornua Capricorni uſque	11	7 1/2	7 2/3	
	16	Intra Sagittarium & Antinoũ	16	11	13	
	17	prope Antinoum	19	14	15	
	19	Infra Aquilam exactè	23	17 1/2	19	
	20	prope Stellam in manu Antinoi	26	18	21	
	21	Vltra Aquilam & Antinoum in ipſo Aequinoctiali	30	20	24	
	22	Supra Aequinoctialem	31	20 1/2	25	
	24	Ad caudam Delphinis.	34	22	26 1/2	
	25	Infra Delphinem	35	22 1/2	27 1/2	
	26		37	24	28 1/2	
	27		38	24	29 1/2	
	28		40	24	29 2/3	
	29		42	25	30	
	30		43	26	31	
Dies	1	Decemb: ad nares equiculi caudam flectens ſupra Lucidam in nare Pegaſi	44	26	32	Aquarij
	2	in rictu equi minoris	45	26	32	

Intra

RESIDVVM TABVLAE, MOTVS LONGITVDInis, Latitudinis, & Declinationis Cometæ.

		CONSTELLATIONES	Longitudo	Latitudo	Declinatio	Signa
Anno 1577. mens. Decemb.	3					
	4	Intra rictum equiculi & Pegasi	46	26	33	
	6		49	27	35	
	7	Supra rictum Pegasi	52	27	36	
	8					
	14					
	15	Supra Caput Pegasi	58	$27\frac{1}{2}$	$38\frac{1}{3}$	Aquarij
	18		$58\frac{2}{3}$	28	39	
	22	Supra Collum Pegasi	60	28	39	
	23		62			
	28	infra crura Pegasi	63	$28\frac{1}{2}$	40	Piscium
Anno 1578 Ianuarij	7	ad crura & pectus Pegasi	69	30	43	
	14	ad Stellas duas in Pectore Pegasi	72	31	46	
Dies		Vbi planè disparuit post medium Ianuarij.	75	30	46	

CAPVT II.

De motu huius Cometæ proportionali & de causa huius motus.

SI igitur numeros motus longitudinis, latitudinis & declinationis Cometæ conferamus in prædicta Tabula: Videmus sanè Cometæ motum ab initio ad finem certis proportionibus constitisse. Ab initio quidem longitudo ad latitudinem vel declinationem (quæ tum eædem fuerunt) in proportione sesquialtera se habuit. Postea verò cum motus longitudinis & declinationis degenerarent in proportionem imperfectiorem, mox tamen redierunt iterum ad perfectiores generis multiplicis proportiones & analogias. Longitudo siquidem si ad latitudinem conferatur, postquam Cometa Capricornum egressus fuisset, ex sesquialtera pervenit in proportionem duplam, in genere multiplici primam & simplicissimam proportionem, in eaq; ferè permansit ad finem vsq;.

Longitudo & Declinatio ex sesquiquarta degenerarunt in sesquitertiam in Aquario, posterius verò redibant in sesquialteram, quæ duplam statim in perfectione sequitur.

Declinatio etsi ab initio cum latitudine eadem esset post medium Capricorni tamen alia esse cœpit. Quare sub finem Capricorni ad se invicem habebant in proportione sesquiquinta, mox tamen degenerebant in sesquiquartam, sesquitertiam, & sub finem in sesquialteram etiam.

Habitudines verò longitudinis latitudinis & Declinationis Cometæ ab initio ad finem ratione Signorum diversas sequens Tabula tibi ostendit.

TABVLA PROPORTIONVM VERI MOTVS COMETAE SECVNDVM Longitudinem & Latitudinem & Declinationem.

Longitud:	11	Sesquialtera	30	Sesquiquarta	40	Sesquitertia	52	Sesquialteram	60	Sesquialtera	75	Sesquialter: ferè
								Processus in duplam $1\frac{2}{3}$				
Declinat:	$7\frac{1}{2}$	eadem	24	Sesquialtera.	$29\frac{1}{2}$	Sesquialtera	$36\frac{1}{3}$		39	Dupla	46	Dupla
Latitudo	$7\frac{2}{3}$		20	Sesquiquinta	24	Sesquiquarta	27	Sesquitertia	28	Sesquitertia ferè	30	Sesquialtera
	Capricornus				Aquarius.				Pisces.			

CVM igitur cauſam inquirerem, quomodo factum fuiſſet, quod Cometa motu ſuo ſub finem deſcriberet proportiones perfectiores ijs, quas ab initio etiam deſcripſiſſet: quare item ſub medium ab illis receſſerit: aliam inveniebam nullã, quàm quòd ratione Capitis à medij ſui motus linea aliquantulum receſſerit, ab illa videlicet, quæ ab occaſu Hyberno in ortum æſtivum intenditur, & quaſi recta in continuum fluit. Quare ſi Cometa conſideretur reſpectu huius lineæ directæ omnino, à qua etiam vltra Caudæ ſuæ medietatem non receſſit: videmus ſanè, quod ab initio ad finẽ eaſdem ſemper proportiones, easq; perfectiores deſcripſerit: duplam videlicet longitudine ad latitudinem, Seſquialteram illa eâdem ad declinationem relata. Latitudo verò & Declinatio in proportione Seſquitertia ſe ſemper habebant, niſi quæ ab initio eædem prorſus eſſent, ſub finem in proportione Seſquialtera ſe haberent. Sed hæc ex Tabula ſequenti magis manifeſta erunt.

Tabula

TABVLA PROPORTIONVM MEDII MOTVS
Cometæ, ſecundum Longitudinem, Latitudinem, & Declinationem.

Longitud:		Declinat:		Latitudo	
		Dupla			
60	Seſquialtera	38	Seſquitertia	27 1/2	o. Piſcium.
		Dupla			
36	Seſquialtera	24	Seſquitertia	18	Aeqnoctial:
		Dupla			
30	Seſquialtera	19	Seſquitertia	15 1/2	o. Aquar:
		Seſquialtera			
11	Seſquialtera	7 1/2	eædem	7 1/2	Capricor:

Notandum, quemadmodum à o. ♄ ad 15 Gradum, idem ferè eſt medius motus, & verus motus: Sic à o. ♓ ad finẽ Cometæ conveniunt iterum verus & medius motus, quod ex collatione vtriuſque Tabulæ manifeſtum erit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155607-p0019-6

Si igitur motum Cometæ ratione longitudinis & declinationis penſitemus: videmus quod ab initio ad finem partim veri motus ratione, partim medij, hac cõſtanti & æquabili lege fuerit progreſſus, vt quemadmodum prædictorum motuum numeri vbique ſe invicem excedunt medietate, ita motus longitudinis ſe ad motũ declinationis habuerit in proportione ſeſquialtera. Quod ſanè cum ab initio mox animadverterem duabus prioribus obſervationibus factis, dum adhuc idem ferè erat verus & medius motus, eadem etiam declinatio ad Eclipticam & Tropicum Capricorni: Cœpi ſtatim cogitare vel admirari potius, quę cauſa foret tam æqualis & conſtantis motus in iſto Cometa, quod novũ prorſus & nunquam animadverſum in reliquis Cometis. Quare cum fortê fortuna inciderem in ſcriptum doctiſſimi viri Domini Cornelij Gemmæ Lovanij profeſſoris Medicinæ celeberrimi, de nova illa & peregrina Stella Anni 1572. editum, deprehendi ibi ſingulariter notatum 5. gradum. Capricorni eo nomine, quo Stella exinde per Quadrantem diſtarant. Quare cum viderem Cometam noſtrum eo ipſo in loco exortum: admirabar ſanè ingenium viri acutiſſimum, quod Cometæ huius locum quaſi multò antè notaſſet. Cogitabam inſuper exinde aliquem reſpectum peculiarem ad Stellam fore. Et cum nonnihil ſuperius deflectere viderem Cometam, tanquam verſus Caſſiopeiam curſum intenderet: iudicabam omninò Cometam forſitan motum ſuum & viam ducturum ad locum, vbi ſteterat Stella in Caſſiopeia, indeque pendere motum æquabilem illum & conſtantem, qui in proportione ſeſquialtera conſiſteret. Nec fefellit animus. Siquidem ſi diſtantiam Stellæ ſecundum longitudinem Zodiaci ſummaus à principio ♑ deprehendimus illam eſſe 126. graduum (erat enim Stella in 7. Tauri gradu) Parallelum verò Stellæ à Parallelo Solſtitij Hyemalis, in quo Cometa primum ortũ habuit, invenimus ſecundum latitudinem diſtare 84 ferè gradibus: ſi videlicet à Stella per punctum Aequinoctij verni latitudinem ad Tropicum vſque extendamus. Qui numeri longitudinis & declinationis Stellæ à puncto Solſtitij hyemalis, cum ſe invicẽ medietate excedant, non minus ac numeri longitudinis & declinatio-

Longitud. 126
Declinatio 84

tionis motus Cometæ,& in proportione Seſquialtera ad ſe invicem conſiſtãt: neceſſe igitur erit,vt à Stella nova hac ratione pendeat motus huius Cometæ,quod motum videlicet ſuum & curſum ad eam direxit. Nam quia tali proportione ab initio ad finẽ progreſſus fuit Cometa,vt Tabula obſervationum oſtendit, neceſſe eſt,vt curſum ſuum ad Stellam habuerit: Et quia ad locum Stellæ curſu ſuo tendebat, neceſſe etiam eſt, vt hac proportione ſeſquialtera ſemper progreſſus fuerit. Hæc duo enim ſe invicem neceſſario conſequuntur. Nec obſtat quod ratione Capitis poſterius digreſſus fuerit ab illa proportione, cum demum iterum redierit,& ratione medietatis Caudæ ſemper ſervaverit. Minus etiam obſtat,quod ab initio motus Cometę fuerit velociſſimus, in medio remiſſior, ſub finem tardiſſimus. Si enim in longitudinem tardius, tardius etiam in latitudinem movebatur, quod etiam de velocitate intelligendum. Quare cũm in proportione Seſquialtera progreſſus fuerit Cometa, ratione longitudinis & declinationis, concludimus quod ad Stellam curſum ſuum habuerit,quod nobis hactenus demonſtrandum fuit.

Quantum verò ad motum longitudinis & latitudinis attinet, ea ſcilicet ad Eclipticam relata, cum in dupla proportione fuerint: Dupla etiam ſit longitudo Stellæ à principio Capricorni (ſi rectà gradus ſecundum diſtantiam æqualem,non ſecundum Zodiacum numerentur)ad 54. latitudinis gradus (totidem enim gradibus Stella diſtabat ab Ecliptica.) Longitudine verò graduum ſecundum Zodiacum ſumpta, in dupla ſeſquitertia ſe habeant proportione ad latitudinis 54 gradus: qualis etiam ſub finem ferè,proportio fuit longitudinis & latitudinis Cometæ, vt Tabula obſervationum habet circa 7. diem Ianuarij: Ideo vndecunq; divertamus, fateri tamen cogimur, Cometam noſtrum peculiarẽ reſpectum ad Stellam,& motum habuiſſe ęqualem & proportionalem, quod hactenus patuit ex collatione trium motuum ad ſe invicem.

Longitu. 110. Latitud: 54.

Longitud. 126. grad. Latitudo 54. grad.

Longitu. 72. Latitudo 31.

Si verò motus Cometæ ad Signa & Tempora referatur, non minus proportionalem illũ deprehendimus, cum ſemper in poſterioris Signi gradibus (ijs videlicet in vnum collectis) duplum

temporis immoratus fuerit respectu prioris & antecedẽtis signi. Sic motus prioris signi duplo semper velocior fuerit, posterioris duplo tardior. Nam cum 13 diebus, 30 Capricorni gradus perfeciſſet, (ab eo videlicet tempore, quo secundum quosdam ortum habuit, secundum alios verò directus esse cœpit) 30 Aquarij gradus modò 26 diebus absolvit: 21 autem diebus ferè (desunt enim 12 saltem minuta) 12 gradus Piscium. In quibus temporis numeris notandum esse quidem inęqualitatem secundum distantiam, sed æqualitatem secundum proportionem Geometricam. Vbi posterior priorem semper bis continet. Qualis enim proportio medij numeri 26 dierum ad primum, 13 dies, dupla videlicet: talis vltimi ad medium: quod tum manifestum fiet, si signo Piscium integro, integrum suum tempus ex Regula Detri detur, videlicet 52 dies. Quod autem 20 dies cum 48. minut: quos Cometa in 12 prioribus Piscium gradibus insumpsit se habeant ad medium numerum dierum, sicuti se habet medius ad primum: patebit, si 12 gradibus tum Aquarij tum Capricorni ex eadem Regula sui assignentur dies.

Quemadmodum enim 30 gradus

	Capricorni:	Aquarij:	Piscium	
faciunt	13:	26:	52:	Dies
	Sic 12 Gradus faciunt.			
	$5\frac{1}{5}$	$10\frac{6}{15}$	$20\frac{4}{5}$:	Dies

Vbi posterior continet priorem semper bis. Quod adhuc magis manifestum evadit, si 15 gradibus Piscium (quovsque Cometa pervenit secundum Cornelij Gemmæ observationes) 26 dies tribuantur ad 13 Ianuarij scilicet diem. Reliquos enim dies stando potius quàm progrediendo absolvit, vt idem ille fatetur in scripto suo. Quod autem prioris Signi motus etiam duplo velocior fuerit, manifestum evadit, si motus diurnus prioris signi ad motum diurnum posterioris referatur, secundum Tabulas sequentes, quarum prior ex Tempore demõstrat, posterioris signi motũ

motum ſemper fuiſſe duplo tardiorem reſpectu prioris ſigni. Altera verò ex Gradibus, arguit prioris ſigni motum ſemper fuiſſe duplo velociorem reſpectu motus ſequentis ſigni.

Prior Tabula.

Quadrupla proportio.

	Dupla			Dupla					
30 ♄ grad: faciunt	13 dies	30 ♒	26 dies	12 ♓	21 dies	15 ♓	26 dies	30 ♓	25 dies

Dupla

Altera Tabula.

Proportio

	Dupla			Dupla			
Motus diurnus Cometæ	♋ ♈	$2\frac{4}{13}$ grad	♋ ♐	$1\frac{2}{13}$ grad	♋ ♑	$34\frac{8}{13}$ minut:

Quadrupla.

Sive igitur Cometæ motus in ſe reſpectu poſterioris ſigni cõſideretur, ſive reſpectu trium motuum ad ſe invicem: deprehendimus ſanè motum illius certis proportionibus conſtitiſſe: præcipuè Dupla, Seſquialtera & Seſquitertia, quæ ſanè in Muſica Diapaſon, Diapente & Diateſſeron faciunt, omnium conſonantiarum iucundiſſimam & perfectiſſimam. Quod non hoc nomine adduximus, quaſi Pythagoricũ dogma defendere velimus: Orbiũ cœleſtiũ motus concentũ harmonicum edere: ſed vt demonſtrarem, quemadmodũ Diapaſon ſi Diapente & Diateſſerõ adiungantur omnium gratiſſimam & perfectiſſimam efficiunt Symphoniã Et ſicut in genere multiplici prima ſimpliciſſima & æqualiſſima exiſtit proportio dupla totum bis continens, ſeſquialtera autem

vltra totum medietatem considerãs in perfectione statim sequitur: tertio verò loco sesquitertia habetur: Sic concluderem, Cometam progressum proportionibus Dupla, Sesquialtera & Sesquitertia (Diapason, Diapente & Diatessaran) motum habuisse omninò simplicissimum, constantissimum, perfectissimum, harmonicum & æqualissimum, secundum Geometricam æqualitatẽ videlicet. Quod secundo loco nobis demonstrandum fuit.

CAPVT III.

De Sphæra & Circulis Cometarum, de Polis item & Axi.

CVM igitur Cometa ille præter diurnum & communẽ Firmamenti motum, alium proprium habuerit ab occasu in ortum, similem ferè Planetarum motui, nisi quod ab Ecliptica vlterius ad Septentrionem versus Cassiopeiam fuerit progressus. In eo autem prorsus diversum ab aliorum Cometarum ante hac observatorum motu, quod huius motus omninò regularis constans & proportionalis fuerit, vt Capite præcedenti demonstravimus. Ideo necesse est, vt super proprio Polo tanquam centro, motum suum habuerit, & arcum circuli aliquem regularẽ descripserit. Super illo arcu igitur centrum sive Polus circuli ex tribus datis punctis iam nunc quærendum, & exinde Sphæra Cometarum extruenda.

Cum igitur Cometa ad Stellam in Cassiopeia positam fuerit progressus: primum ergò punctum sit Scheder seu pectus Cassiopeiæ, inter cæteras eiusdem constellationis lucidior Stella, & quasi media: secundum punctum sit finis Cometæ, seu stellæ duæ in pectore Pegasi, ad quas vsque pervenit Cometa, & vbi etiam extinctus est: Tertium punctum sit caput Cometæ, sicuti secundũ illud constitutus fuit 14. Novembris die: vbi primum à me conspectus fuit supra verticem Sagittarij, circa 11 grad. ♑ ad latitudinem Septentrionalem 8 grad. circiter. Super istis tribus punctis datis si secundum Euclidem centrum quæratur, invenitur illud in Coluro Solstitiorum, non minus vt Zodiaci & Mundi centrũ exactissimè ex adverso Poli Mundi tot gradibus distans à Polo

Zodia-

Zodiaci, quot Polus Mundi ab eodem distat: 23 ½ graduũ, quanta videlicet est maxima Solis Declinatio. Super isto Centro tanquam Polo, si iam circinus ad tria data puncta extendatur, Circumferentia circuli describitur, quæ secat colurum Solstitiorum in distantia 8 graduum supra punctum solstitij hyberni. Colurum autem Aequinoctiorum in declinatione 52 graduum circiter, in Parallelo ferè verticis nostri. Et illa circumferentia erit circulus Cometæ ipsissimus, cum transeat per principium Cometę, per finem & per Cassiopeiam, tanquam per terminos à quo per quem & in quem. Cum autẽ sese Cometa in longum & latum extenderit, necesse igitur erit, vt latitudo aliqua huic circulo detur, alioquin dicendum foret, Cometam aliqua sui parte extra circulum suum fuisse, quod omninò absurdum foret. Si autem ductum huius circuli iam descripti à Coluro Solstitiorum per caput Cometæ ad finem vsq; respiciamus, & vbique notemus qualem latitudinem ad Eclipticam habuerit, Insuper latitudinẽ Cometæ superiori capite descriptam, ad hunc circulum cõferamus: deprehendemus sanè Cometã vtrinq; ad 8 gradus, & vlterius nõ recessisse ab hoc circulo iam descripto. Demus igitur vtrinque huic circulo 8. gradus, latitudinem habebit instar Zodiaci 16 graduum, totum vniversum autem non ambit instar Zodiaci vel Aequatoris, sed erit instar parvorum circulorum Tropicorum, cum Semidiametro 60 graduum exactè in medio. Quod verò huic circulo latitudinẽ tribuimus, nõ videatur tibi hoc insolens, cum idem in Planetis fiat, præsertim quod maiorem latitudinem nòn assignavimus, quam vel Planetæ ipsi ab Ecliptica habent. Hac igitur latitudine orbis huius & circuli Cometæ tanquam Eccentrici data, Videmus quod Cometa in exteriori limite austrino ex ortus, Meridionalem latitudinem circuli sui habuerit ad 14 diem vsq; Novemb: circa quem in medio tanquam in capite Draconis constitutus, postea versus Septentrionem declinabat, cuius limitem boreum assecutus in Aequinoctiali per aliquot dies in eo tanquam in ventre Draconis ferebatur, ad nares Equiculi vsque. Inde flectebat iterum ad medium circuli vel Sphæræ suæ, quod sub finem suæ apparitionis attigit, constitutus sic tanquam in cau

Eccentricus.

da Draconis. Hunc circulum autem rectè à nobis descriptum vel hoc argumento est, quod etiamsi caudam longissimè produxerit extra circulum tamen descriptum nunquam extenderit. Et nehoc fieret, posterius caudam non amplius ad ortum brumalē vertebat, sed superius magis ad ortum æstivum flectere voluit, quamvis hoc verius ad Solis refractionem referatur. Videmus deinde hac circuli latitudine data Cassiopeię totam constellationem comprehendi, ad quam Cometam viam ducere ex proportionalitate motus eius probavimus. Ex isto igitur circulo tanquam Eccentrico causam reddere possumus & longitudinis & latitudinis motus Cometæ.

Cum autem tertium etiam motum habuerit sursum & deorsum, vt patet ex observationibus Cornelij Gemmæ, qui inæqualem distantiam eius ad terram deprehendit & parallaxim eius diminui. Ideo necesse erit, vt etiam huic circulo tanquam Eccentrico parvum circulum tribuamus, tanquam Epicyclum ex quo diversitatem & inęqualitatem motus eius etiam salvare possim⁹. Qui enim ortum eius in Octobrem referunt, multò minorem illum depingunt, & retrogradum faciunt ad principium Novemb: usq;. Indeper aliquot dies vel tardissimum vel stationarium ad 9 vsq; diem Novemb: A quo directum illum animadvertimus & velocissimum in Capricorno, in Aquario verò tardiorem, sub finem verò tardissimum adeoq; per aliquot dies denuò stationarium. Dato igitur Epicyclo, iudicamus illum ab initio in Austrino limite retrogradum fuisse in suprema Epicycli sui parte, vel hoc argumento, quod ab initio multò minor fuerit conspectus, quo nomine etiam à paucis animadversus, quia magis vergebat ad Meridiem, & ob distantiam eius à terra minor erat, nec ita facilè in oculos incurrebat. Sic in Apogæo Epicycli constitutus retrogradus erat, vsque dum perveniisset ad longitudinem mediam, in qua stationem per aliquot dies agens, directus tandem factus, velocissimus erat, quod motus Epicycli & Eccentrici in vnū conspirarent: maior autem quotidie conspiciebatur, quod propius ad terram accederet. Inde constitutus in imo & perigæo sui Epicycli in boreo limite terræ proximus fuit, habens maximam para-

laxin 40 minut: vt notat Cornelius Gemma, ob hanc causam iudico illum etiam tum temporis maximum conspectum fuisse & longissimum, etiamsi rarior multò quam ab initio fuerit, quod multum iam de substantia eius decessisset. Inde vt decrescere in lumine & motu manifestè deprehendebatur, ita quotidie etiam minuebatur Parallaxis eius, quare iudicamus illum ab imo sui Epicycli iterum ascendisse, vsq; dum pervenerit ad alteram longitudinem mediam, In qua, vt Planetę etiam solent, alteram stationem agēs, per aliquot dies omninò fuit extinctus, antequam iterum retrogradus fieret. Si verò obiecerit nobis hîc aliquis, Cometæ Sphæram & circulum esse instar parvorum, cum magnus esse deberet, qui totum vniversum æqualiter ambiret vt Zodiacus seu Planetarum Sphæra. Respondemus, quantum ad præsentis Cometæ & Stellæ Phœnomena salvanda attinet, sufficere nobis hunc circulum parvum: nec in Cometis Comparatum esse vt in Planetis, cum Planetarum circulus vel Zodiacus totum vniversum æqualiter ambire debeat & quidem per obliquum ob hanc causam, vt sit generationum & corruptionum causa. Sed Cometæ ob alias causas exhibentur à Deo, vt nuncij sint futurorum, & certis quibusdam locis quædam significent & præmoneant. Ideo omni cœli parte eos oriri posse, nunc remotiores à Polo suo, nunc propiores, quemadmodum etiam ex stellis fixis aliæ magis accedunt ad Polum Mundi, aliæ magis removentur. Si qui verò omninò magnum Cometarum circulum describere voluerit, cuius diameter sit instar maiorum 90 graduum, non moramur, modo ex hoc Polo & centro fiat, quo facto magnus ille Cometarum circulus transibit per duo Aequinoctij puncta in quibus duobus locis etiam Zodiacum & æquinoctialem in duas æquales partes secabit. In coluro Solstitiorum autem maximè distabit ab vtroq;, à solstitio hyberno tantum declinās versus austrum, quantum ab æstivo versus Septentrionem ascendit per 23 $\frac{1}{2}$ gradus, quanta videlicet est distātia Poli eius à Polo Zodiaci.

Aristotel: lib: 2. de ortu & interitu.

Ab æquatore verò vtrinq; duplicatis gradibus distat 47 scilicet cum eadem etiam distantia sit Polorum, Cometarum & Mundi, & hic sanè Cometarum circulus magnus non videtur omninò negli-

gendus,cum viderimus plures ſuperiorum annorum Cometas ſuper illo ortum ſuum habuiſſe. Refert Ioachimus Camerarius Cometam ex Syneſio authore, qui emerſus à plaga auſtrali & ſigno Arę vel thuribuli,proceſſit ad punctum Aequinoctij. Nicolaus Brucknerus Cometam anni 1533 iuxta hircum deſcribit, qui caudam verſus Caſſiopeiam porrexit, & perrexit deinde ad Cepheum. Ioannes Vogelinus Cometam anni 1532. in 15 grad Leonis collocat,cum latitudine Septentrionali 11 ½ graduum. Ioannes Hommelius Cometam anni 1556. iuxta alam ſiniſtram Virginis prope Spicam conſtituit ad 5 diem Martij,qui verò menſe Februario illum conſpexerunt,ad Aequinoctium ortum eius referunt,vt notavit Iohannes Hebenſtreit Erphordenſis. Et hi ſanè Cometæ omnes in prædicto circulo magno ſedem & ortum habuerunt, qui ſanè vel ob hanc etiam cauſam non videtur negligendus,præſertim quod ex illo rationes reddere poſſimus,quare rarius Meridionales conſpiciantur Cometæ,rarius etiam in Ecliptica. Nam cum circulus ille magnus Cometarum ex parte Meridionali, longius etiam infra Tropicum Capricorni deſcendat, iudicandum,etiamſi exoriantur in ea parte circuli Cometæ,illos tamen non ita facilè à nobis conſpici poſſe, cum Horizonti propiores ſunt,& conſentaneum ſit etiam eorum plurimos ad Polũ Antarcticum recedere , vt noſtri in Septentrionali medietate circuli exorti mox ad Polum Arcticum aſcendunt. Quod verò rarius in Ecliptica conſiſtant, cauſam eſſe iudico quod idem ille Cometarum circulus Eclipticam ſaltem in duobus Aequinoctij punctis ſecet,& quidem in illis locis, per quæ via lactea ceu Cœli Caminus quiſpiam atq; Cometarum fomes non tranſit. Quare qui ſuperius adducti ſunt in Ecliptica vel ortum habuiſſe, vel illã tranſijſſe,in æquinoctij locis factum ab authoribus notatur. Qualis ſuperior Syneſij Cometa fuit.

Gala xia.

Cometa etiam Anni 1556. in Aequinoctio autumnali exortus aſcendebat ad verticem Mundi,& per convexa Cœli tendebat ad oppoſitum ſignum Arietis. Similis huic prorſus fuit Cometa Anni 1475. quem Regiomontanus deſcripſit. Is enim exortus in Aequinoctio autumnali aſcendebat per crura Bootis velociſſimè,ad

mè,ad verticem Mundi vſq;,inter duos Polos,Mundi & Zodiaci, & deſcendebat per Caſſiopeiam & Andromedam,per Aequinoctium vernũ, ad ſtellas Ceti vſq;, vbi occaſus Heliacus ipſum occultavit, ſed quia adhuc fuit magnæ quantitatis, iudicat Regiomontanus, fortaſſis illum motum ſuum continuaſſe, vſq; in Libram iterum redierit, non tamen conſpectum propter poſitum eius ad Solem,& quia longius in Meridiem receſſerit. Et hæc ex Hiſtorijs de Cometis afferre volui non omninò παρέργως quod Epilogiſticῶs quaſi confirment ſententiam noſtram de novis circulis Cometarum & Polo. Optarem equidem plurium Cometarum exactiorẽ deſcriptionem,ex qua cognoſcere poſſem,num & alijs temporibus obſervati Cometæ motu ſuo reſpectum aliquem vel ad Polum vel ad circulos prædictos habuiſſent: Sed cũ illa deſtituar ſufficit mihi,preſentis noſtri Cometę Phœnomena ex nova illa Sphæra ſalvaſſe, & demonſtraſſe ex motus proportionalitate,Cometam ad Stellam progreſſum fuiſſe, & illum quidẽ progreſſum proportionalem in linea fuiſſe, quæ ab occaſu hyberno in ortum æſtivum rectà incedit per puncta Solſtitialia (quam ſuperius mediam vocauimus) ratione cuius lineæ Cometa ſanè arcum magni circuli deſcripſit 80 graduum circiter ab Solſtitio hyberno ad duas ſtellas in pectore Pegaſi vſq;. Huius verò arcus, tanquam medij motus lineæ,centrum ſeu Polus exactè conſiſtit in Axi Zodiaci, diſtans à Polo eius 30 gradibus,ab Aequinoctio autumnali 60.

Quantum verò ad Axin Cometarum attinet, cum per mediũ circuli ſui extendi neceſſe ſit, & magnus ille Cometarum circulus tranſeat per Aequinoctij puncta: melius ſanè Axis deſcribi non poterit, quam per circulum qui à Polo eius extendatur per duo æquinoctij puncta. Nam iſte circulus non ſolũ in æquoctijs ſive in medio & centro Axin reſpicit ſed vbiq; locorum. Ad hæc cum Polus ſit in coluro ſolſtitiorũ circulus axin reſpiciẽs,ſecabit in duo æqualia circulos Cometarum, ſive magnum illum & vniverſalem reſpiciamus, ſive particularem & proprium noſtri Cometæ circulum & Sphæram. Quo facto deprehendemus ſanè Stellas duas in pectore Pegaſi (quo in loco etiam Cometæ finis AXIS.

fuit, exactè respicere Axin hanc modò descriptum. Axin autem illum, etiam linea veri motus Cometæ confirmat, in qua etiamsi aliquid inordinatum fuerit (vt Cornelius Gemma etiam refert) in eo, quod postquã Cometa digressus fuisset, à linea media (quæ à solstitio hyberno in æstivum rectà in continuum fluit) descripserit primum arcum magis superius tendentem ad Aequinoctialem vsq;: alterum in boreo limite ad nares Equiculi vsq;, tertium decliuius fecerit à nare equi minoris, vsq; dum pervenerit iterũ in lineam mediam illam & directam: illud tamẽ inprimis notandum. Horum trium arcuum distinctorum, distincta tria centra inveniri in ipso circulo Axin Cometarum respiciente. Et primi quidem arcus Centrum seu Polus invenitur exactè ex adverso Stellæ novæ, ex altera parte circuli huius, distans à Polo Cometæ 30. gradibus, ab æquinoctio autumnali 60: Centrum autem medij arcus est ipse Polus Cometæ: Centrum tertij arcus, super quo Cometa redijt iterum in lineam medij motus ex hac parte circuli prædicti, invenitur distare à Polo Cometæ 30 gradibus, ab Aequinoctio verno 60. Cum igitur veri motus Cometæ tria contra inveniãtur in circulo qui Axin Cometarum respicit: concludimus inde Axin etiam à nobis verè constitutum esse.

Et hæc de Sphæra & Orbi Cometarum, circulis illius, Polis & axi ex illorum Phœnomenis faciẽda nobis & demonstranda fuerunt.

CAPVT IIII.

De Symmetria, quam Cometa & Stella ad se invicem, & præcipua Cœli loca habuerunt, ratione Globi cœlestis.

I. QVantum igitur ad generationem attinet, vt ijsdem anni temporibus, principium & finem habuerunt & Stella & Cometa: ita circa Novilunia sc. in conspectum exhibuerunt, quæ similia prorsus & ferè eadem fuerunt, cum vtraq; acciderint in posterioribus gradibus signi Scorpionis, non longè à corde Scorpij, similiter in vtrisq; constitutis, Iove, Marte, Venere, capite & cauda Draconis ex Signis Cardinalibus

bus Tropicis & Aequinoctialibus: in vtrisq; etiam Luna à Sole defluens, viam Galaxiæ transeundo, quarto die cum primum aparere cœpisset, maleficis Planetis cõiungebatur in Capricorno, hîc Saturno & Cometæ, illîc verò Marti.

Deinde vt stella in præcipuo cœli loco constiterat, in contactu & nodo Galaxiæ circuli & coluri, qui per Aequinoctium veris incedit: ita Cometa in præcipuo puncto totius cœli exortus, in cõtactu videlicet, & nodo Galaxiæ & coluri solstitij, in ipso Solstitio hyberno ferè, vbi est quatuor circulorum sectio. 2.

Quare Colurorum ratione & Stella & Cometa dextram cœli partem à sinistra separant in quatuor æquales partes. 3.

Vt Cometa ad Stellam cursum suum direxit: ita singulares aspectus ad illam habuit: ab initio in Tropico Capricorni Trigonum, in medio in Aequinoctiali ferè quadratum: sub finem in Tropico ♑ sextilem. 4.

Ab initio autem non tantum Trigonum aspectum habuit Cometa ad Stellam: sed cursum suum ita instituit, vt etiam Trigoni distantiam faceret, qui sanè respectus Cometæ ad Stellam esse non potuisset, si alia quam prædicta ratione ad Stellam fuisset progressus. 5.

Item in qua distantia Stella recessit ab extremo Mundi ferè à Stella Polari tanquam Cynosura & Gnomone, in eadem distantia ferè Cometa à medio Mundi, tanquam ab altero Gnomone ab æquatore vtrinque recessit per maximas Solis declinationes, superius ab inferiore æqualiter distinguens. 6.

Quo nomine omnes Solis Parallelos descripsit, extra illos verò proprios alios nullos, non minus, ac omnes etiam Solis occasus fecit, extra Solis autem occasus alios nullos. 7.

Quantum verò ad Polum Cometæ attinet, mirabiliter comparatum est, vt quantum Polus Zodiaci à Mundi Polo distet, tantum ab illo Cometæ Polus recesserit, vt sic in medio collocetur Zodiaci Polus, vt æquinoctialis in medio Tropicorum constituitur. 8.

Quare qualem respectum parallelus Cometæ primus in Tro- 9.

à solstitio hyberno ad finẽ Cometæ sunt 80 gradus, à fine Cometæ ad stellam 40. summa 120. Trigonus sc.

pico ♄, medius in Aequinoctiali: vltimus in Tropico ♋, ad se invicem habent: talem exactè respectum paralleli Polorum, Cometæ, Zodiaci, & Mundi habent.

10. Quantum verò attinet ad Polum medij motus Cometæ in Axi Zodiaci, & ad reliqua duo centra veri motus Cometæ, vtrinq; in Axi Cometę à Polo Cometæ per 30 gradus recedentia, cum illis sic comparatum est: vt qualem respectum Stella nova in Axi Mundi ad puncta æquinoctialia habeat, eundem exactè prædicta centra in circulis axes suos respicientes, ad eadem puncta habeāt, sextilem scilicet & trigonum ad puncta æquinoctialia.

11. Quadratum verò quem Polus Cometæ verus ad Aequinoctialia puncta habet, eundem supplevit Polus Cometę medij motus ad Solstitialia puncta, cum huius circulus per Solstitia, illius per Aequinoctia incedat.

12. Et sicuti Stella in nova illa Sphæra immota semper perpetuò respexit Aequinoctialia puncta in Axi Mundi: Sic Cometa in eadem Sphæra mobilis, semper tamen respexit solstitialia puncta, in linea medij motus: sub finem tamen etiam æquinoctium vernum in Axi suo respexit.

13. Cometa verò & stella ratione Colurorum, ad quæ referuntur, efformāt cum Aequinoctio verno Triangulum scalinum, ex tribus inæqualibus lateribus, hac ratione tamen proportionalibus, quod vnum alterum æqualiter secundum Arithmeticam proportionem 30 gradibus excedat. Latus enim à principio Cometæ ad stellam Trigono constat: Latus à principio Cometæ ad Aequinoctium vernum quadrato: sextilem verò basis supplet à stella ad principium Arietis, Aequinoctium scilicet.

14. Quantum verò ad Axin Cometæ attinet, cum Polus eius in coluro Solstitiorum cum Polo Mundi æqualiter recedant à Polo Zodiaci, sequitur etiam Axin Cometæ vbiq; locorum tantum recedere ab axi Zodiaci, quantum ab eodem Axis Mundi recedit, Et sic Cometæ Axin reliquos duos Zodiaci & Mundi quasi proportionaliter coniungere.

15. Quantum verò ad motum Cometæ attinet, vt Stellam fixarū motus idem semper est & sui similis: Planetarum autem motus æqua-

æqualis ſecundum Arithmeticam proportionem magis: ita Cometa huius motus novo prorſus modo inſtitutus erat ſecundū Geometricam proportionem ſcilicet.

Vbi ſanè maximè admirandum, Cometam motu ſuo proportiones maximè harmonicas feciſſe, illas videlicet, ex quibus alioquin Muſicus concentus ſuaviſſimus conſtat & perficitur. Idq; ſiue motus longitudinis, latitudinis & declinationis ſingulis diebus, collatione ad ſe invicem facta, cōſideretur, ſive quilibet illorum per ſe ratione poſterioris Signi. 16.

Quare vt Diſdiapaſon maximum in Muſica intervallum conſtituit, ſic poſteaquam Cometa eo vſq; progreſſus fuiſſet, vt motus diurnus vltimi ſigni Piſcium ſe haberet ad motum divrnum primi ſigni Capricorni in proportione Quadrupla, quæ Diſdiapaſon correſpondet, ſtationarius factus, moveri vlterius deſijt, tanquam Muſicum intervallum tranſgredi non liceret. 17.

Ex quibus omnibus concludimus, Sphæram novam illam (ſic enim nominare liceat, ob miraculi magnitudinem) Cometæ & ſtellę, nihil ſupervacaneū habere: ſed vt eſt novum prorſus quiddam & inauditum antea, ita circulo ſuo, Polis & Axi, reliquas duas Sphæras iuſta proportione connectit: In qua præcipua cœli loca & cardines Mundi illuſtrant & reſpiciūt tum Cometa, tum ſtel la. Quæ omnia caderent, nec eſſe poſſent, ſi vel in vno gradu aliter poſitus illorum fuiſſet. 18.

In hac igitur Sphæra ſtella nova illa per integrum annum: & aliquot menſes in Axi mundi immota ſemper conſtiſtit, tanquam altera novæ huius Sphæræ Cynoſura: Cometa verò cum ad ſtellam moveretur, in circulo illo novo, & ad Axin ſuū perveniſſet, æquinoctij verni punctum exactè reſpiciens, per aliquot dies immotus in illa ſubſiſtens, deniq; etiam extinctus fuit & diſparuit, cum per integras 10 ſeptimanas à nobis conſpectus fuiſſet, ſecundum alios verò per quadrantem anni etiam. 19.

CAPVT V.

De Harmonia, quam Stella & Cometa ad ſe invicem & ad Mundi Cardines habent reſpectu globi terreſtris.

1. VBI notandum primò, quantum ad visum nostrum attinet, Cometam semper nobis in loco declinante conspectum fuisse, exaltatū supra omnes Planetas in mortis loco, 8 & 7. domo, Postea verò cum motu suo properaret ab initio Decembris etiam in 9. domo Religionis & 10. visus fuit & constitit.

2. Vt Stella in alto cœli loco posita conspici potuit ab omnibus illis, qui à Polo Arctico ad Tropicum vsq; Capricorni habitant: ita Cometa ille etiamsi in loco inferiori exortus fuerit, sic tamen cursum suum instituit, vt ab omnibus in vniverso orbe terrarum conspici potuerit, etiã ab illis, qui sub ipsis Polis habitare possunt.

3. Et quemadmodũ Sol omnes partes terræ, tam australes quàm boreales æqualiter illustrat: ita cum ille Cometa omnes Solis Parallelos perfecerit, omnibus æqualiter etiam conspectus fuit, Australinis æquè ac Septentrionalibus, nec nobis magis quàm alteris.

4. Vbi etiam notandum quod extremis illis locis versus Meridiẽ positis, quibus stella fuit conspecta (non enim potuit conspici ab illis, qui vltra Tropicum ♑, ad Polum Antarcticum vsq; habitãt) illis inquam, vltimis à Stella terris Cometa nunc ab initio fuerit verticalis, dum in Tropico ♑ constitit.

5. Si autem Cometa consideretur, vt in Horizonte ortivo fuit positus, notandum, ab initio illum omnib⁹, quibus oriebatur (nõ enim oriebatur, nec occidebat illis, qui ꝓpius ad Polos mundi habitant) cũ præcipuo sc: cœli puncto solstitij hyemalis ascendisse.

6. Deprehensum tamen est, illis, qui elevatum Polum habent, ad 52 ferè gradus, quæ ferè media elevatio est Europæ & Germaniæ verticalis, hunc Cometam perpetuò ab initio ad finem vsq;, cum prædicto puncto super Horizõtem ascendisse, vbi mox sequebatur Saturnus cum cornubus ♑: Mars autem culmen cœli tenebat, ambo fortes in proprijs domicilijs constituti. Iupiter sedem in 9. domo Religionis cum Spica habuit.

7. Vbi miraculi nescio an ominis loco notandum, illorum Horizontem (Cometa videlicet in eo posito) fuisse ipsissimum arcum Cometæ, quem ab initio & sub finem etiam descripsit ratione lineæ medij motus à solstitio hyberno in æstivum incidentis. Cuius ar-

ius arcus Polus in axi Zodiaci est ipsissimum Zenith seu punctum verticale Horizōtis prædictæ elevationes. Quare Cometa posito in æquinoctiali exactè etiam fuit in medio Horizontis illius.

Cum verò Cometa ratione capitis nonnihil recesserit ab illa 8
linea, notandum, arcum primum ratione cuius recessit ab illa linea exactè respicere Horizontem elevationis 45 graduum, arcus secundus verò, in quo ferebatur Cometa ab æquinoctiali ad nares equiculi in boreo limite, Horizontem elevationis 49 graduum respicit, tertius arcus, super quo redibat Cometa in lineam directam versus solstitia, Horizontem declinationis 60 graduum respexit, cui Horizonti Stella etiam exactè fuit verticalis.

Quantum verò ad Polum Cometæ attinet, cum 47 gradibus 9.
distet à Polo Mundi, sequitur vt verticalis sit illis, qui declinationem habent 43 graduum.

Sequitur etiam Polo Cometæ in Meridiano posito, illum exa- 10.
ctè stringere Horizontem elevationis 47 graduum.

Sequitur tertiò, illoruu Horizontem esse ipsissimum Axis cir- 11.
culum, qui videlicet exactè Axin respicit, & in duob⁹ æquinoctij punctis Aequinoctialem & Zodiacum secat.

In isto autē Axis circulo cum vtrinq; ad polum Cometæ con- 12.
sistant illa duo centra, sup quibus Cometa & recessit & redijt iterum in lineam illam directā versus solstitialia puncta tendētem: sequitur vt centrū primi arcus recedentis cum æquoctio autumnali ascendat in prædicta elevatione: centrum autem tertij arcus redeuntis descendat cum Aequinoctio verno, Medij arcus autē centrum Horizontem stringit in Meridiano.

Quare vt stella nova perpetuò culminabat cum Aequinoctio verno, ad quod ratione primi mobilis refertur, ita Cometa non 13.
tantum ratione positus refertur ad Solstitium hybernū, ratione lineæ sc. quæ recta per solstitia incedit: sed in Horizonte prædictarum elevationum seu declinationum, semper etiam oriebatur cum Solstitio hyberno.

Culminante item ab initio Cometa in tropico ♑, exactè orie- 14.
batur punctū æquinoctij verni. Culminante sub finem Cometa in Tropico ♋ ferè oriebatur punctum Solstitij æstivalis,

Occi-

Occidente ab initio Cometa, cum puncto Solstitij hyemalis, culminabat finis Cometæ: Occidente verò sub finem Cometæ, exactè cum illo occidebat punctum æquinoctij verni: culminabat autem punctum Solstitij æstivalis.

15. Quantum autem ad constellationes Stellarum fixarum attinet: notandum cum Cometa semper supra Horizontem ascendisse easdem constellationes, quę cum stella nova medium Cœli tenebāt: quales sunt, Pegasus, Andromeda, Meduſa, Perseus versus Septentrionem verò quàm proximè supra Horizontem steterunt, Cassiopeia & Cepheus, quos omnes in ortu semper præcessit AQVILA volans. Culminante autem Cometa in Capricorno cum Aquila volante, exactè ab initio oriebatur ARIES stellati orbis, cum vellere aureo, & prædictę constellationes omnes, cum pleiadibus & hyadibus, angulum ascendentis seu primę domus obtinuerunt, ratione signorum Zodiaci, Arietis & Tauri, in quibus constituuntur. Occidente autem Cometa, eędem cōstellationes culminabant, non simul tamen, sed vna post aliam, sicuti etiam Cometæ occasus, in prædicta declinatione, extendebatur de die in diem, à puncto Solstitij hyemalis, ad Aequinoctij verni punctum. Sic Cometa non tantum quadrantem sui circuli perfecit, sed ratione occasus quadrantem etiam maioris circuli exactè perfecit à o ♑, ad o ♈, vt rectè inferat Cornelius Gemma, per terream, æriam & aqueam Triplicitates migrasse illum in igneam, ceu signum Arietis, (Mundi totius cardinem primum,) quod etiam ratione Axis sui sub finem exactè respexit.

16. Cometa autē Anni 1556 quamvis motus eius contrarius prorsus fuerit præsentis Cometæ motui, finis etiam eius ex quadrato pugnet cum stellæ loco in Zodiaco, vt Cornelius Gemma notavit: Videmus tamen quod in illa Antipathia singulares etiā respectus habuerit, tum ad stellam, tum Cometam nostrum. Ortus enim in Libra, tendebat versus Mundi verticem, recta linea versus Stellæ locum in Cassiopeia, eo vsq;, donec Axin Zodiaci secaret. Secabat autem circulum, Axin Zodiaci respicientem, in ipso Polo medij motus nostri Cometæ, in Zenith & verticali Parallelo Elevationis 52 grad: Exinde arcū describebat inter Mundi Po-

di Polos & Zodiaci ſuper ipſo vero Polo Sphæræ Cometæ noſtri & Stellæ. Et hæc de Sympathia & Harmonia Cometæ & Stellæ ad mundi cardines.

CAPVT VI.

Hunc Cometam non eſſe ex vulgarium Cometarum numero, ſed ex portentis & inſolitis Signis.

EVerunt ex veteribus Anaxagoras & Democritus & cõplures alij, qui ſtatuerunt Cometas cœleſtes eſſe, & à cœleſti materia genitos. Huic ſententiæ etiamſi opposuerit ſe Ariſtoteles, in eo quod ſtatuat omnes Cometas in Elementarem & ſublunarem regionem aeris vel ignis, ibiq; ex exhalatione calida & ſicca, pinguiq; generari exiſtimet: Sunt tamen ex Neotericis philoſophis, qui mathematicis argumentis ex Parallaxi & æquali diſtantia deſumptis, certiſſimo demonſtrant, quoſdam Cometas ad ætheream regionem referendos eſſe. Ex quorum numero fuit omnium doctiorum iudicio, Stella nova illa ſuperioribus annis conſpecta in ipſo Firmamento & orbe Stellato, vt ex omnibus quos ego legi doctiſſimè & exactiſſimè demonſtravit Thaddæus Hagecius, Aulæ Cæſareæ maieſtatis Medicus. Qui exemplis etiam convincit, in Planetarum orbibus Cometas aliquãdo conſtitiſſe & cõſpectos fuiſſe. Quantum autem ad præſentem Cometam attinet, varia prodierunt variorum ſcripta & iudicia. Ex quibus tamen illos omnes qui elementarem faciunt & in ſublunarem regionẽ collocant, quamvis operoſas obſervationes per inſtrumenta prætendant, ex falſa hypotheſi, (qua ſecundum Ariſtotelicum ἀδύνατον Cometas in æthere non admittendos putant) deceptos eſſe video, non minus, ac ijſdem inſtrumentis antea in Stellæ novæ obſervationibus decepti fuerunt, quod ſanè facilius in Cometa obſervando fieri potuit, quàm in Stella debuiſſet, cum hæc nullam prorſus parallaxin, ille aliquam certè, minorem tamen quàm Luna habuerit. Vt ex veris fundamentis parallaxeos notavit & demonſtravit Cornelius Gemma in Mercurij Sphęram illum collocans, quem ſanè

virum, vtpote in isto genere studiorum, quasi hæreditate paterna exercitatissimum, longè maiorem facimus, quam istos Astrorum malos obseruatores omnes: Ex quibus prodijt etiam mirè quidam ineptus homo, qui dum se doctrinam parallaxeos intelligere putat, & hac se sapientibus & doctis satisfactum gloriatur & scribit: manifestè se prodit, quod nihil quicq̃ in Astronomicis intelligat, & ne stellas fixas quidem agnoscat, quamvis sententiã suam syllogismis speciosis proponat, in quib⁹ tamẽ semper, dum minorem, vtpote ex Diametro falsam, probare debuisset: in physico argumento obmutuit prorsus, in Astronomico ignorantiã suam pudendã prodidit. Quare vt omnes intelligant, Aristotelis doctrinam non esse vniversalem, nec ad omnes Cometas applicari posse, adducam meas etiam rationes, & ipsas ex physicis & Aristotelicis principijs deductas, quibus demonstrabo, hunc Cometam esse æthereum & in ætheream regionem collocandum.

I. Argumentum. A motus æqualitate:

Cum enim Physici omnes, Cometis suis inæqualem motũ tribuant, qui exhalationes accensas lege naturæ perpetuò comitatur. Ille Cometa autem æqualem motum ab initio ad finem vsq; habuerit: secundum Geometricam proportionem scil. duplam, sesquialteram & sesquitertiam, vt cap. 2. demonstravimus.

Dicere mihi nunc Physicus velit, quomodo tam æqualis constans & proportionalis motus cadere possit in elementarem regionem aëris vel ignis? cum elementorum partibus innatum sit vagari & huc illucq; incertis sedibus agitari. Aut si ductu & tractu materiæ viscosæ flamma serpsit, & quasi peculiare iter pabulo allecta fecit, vt Aristoteles velle videtur: Quomodo quæso materia fuit ita æqualiter disposita, vt eandem proportionem flamma prorependo semper servaverit, & iter suum ad locum Stellæ novæ direxerit? Quarè hunc Cometam & æthereum & in ætheream regionem collocandum iudicamus.

Quod autem ex alia etiam quam elementari materia fuerit, totius illius corporis dispositio cum Luminis proprietate demonstrare videtur.

Reliquorum enim Cometarum flamma est densa & crassa in materia impura instar carbonum accensorum nunquam scintillans.

lans. Illius autem Cometæ totum corpus cum cauda rarum & purum omninò, videbatur ratione capitis, instar Stellæ maioris (nam basin magnam vel corpus vt reliqui Cometæ non habuit) omnium aspectu scintillare: ex cauda verò scintillas quasi de se emittere, post medium autem temporis suæ durationis puritate luminis & raritate substantiæ proximè accedebat ad Galaxiam. Concludimus igitur inde cœlestem potius fuisse quàm elementarem. Aut si mihi obscuritatem Luminis obiecerint: his ego respondebo obscuritatem in hoc Comete non ascribendam densitati aut impuritati materiæ, vt omnium visus iudicare potuit: sed raritati substantiæ, & quia purior omninò fuerit. Confirmans illud ex Galaxia seu via Lactea, quæ & ipsa propter raritatem suæ substantiæ non nisi in profundam noctem conspici potest. Quod idem etiam huic Cometæ posterius accidit, vt antequam videri potuerit, removenda fuerint ambo Luminaria cum radijs suis.

Præterea si elementaris fuisset, citò etiam consumptus fuisset in tanta materiæ & corporis sui raritate: Sed diutissimè constitit, tum etiam cum iam ad extremum decrementum perveniisset. Aut si diuturnitatem inde constare volunt, quod semper nutritus fuerit novis habilitibus ascendentibus per aërem ad Cometam, ab illis ego petiero: Quomodo tam æquales halitus ascendere potuerint, vt æqualem semper figuram & regulare decrementum habuerit? ita vt postquam decrescere cœperit, primò in substantia rarior factus, post in quantitate etiam minor, æqualem semper proportionem in decremento servarit, donec omninò fuerit extinctus paulatim & æqualiter.

3. à diutnrnitate temporis & æqualitate Decrementi.

Hunc autem Cometã supra Lunam collocandum esse, à perfectione motus illius ꝓbatur. Constat enim ex physicis, Nullũ phœnomenon, quod sit inferius orbe Lunæ, velocius perfectiusq; moveri motu diurno ipsa Luna. Nam quo quęq; Sphęra propior est primo mobili, eò velocius perfectiusq; movetur motu primi mobilis, tardius autẽ motu ꝓprio: ac vicissim, quantò à primo mobili longiꝰ removẽtur phœnomena, tantò ab illo velocitate recedũt.

4. à motu perfectione.

Constat autem hunc Cometam velocius perfectiusq́; promotū fuisse ipsa Luna, motu videlicet primi mobilis, tardius autē motu proprio. Nam cum Luna singulis diebus motu proprio perficiat ad minimum 11. gradus: ille Cometa duplo & triplo tardior fuit ipsa Luna, etiam dum velocissim⁹ fuit: posterius autem multis vicibus tarditate Lunam superavit, hoc proculdubio nomine, quia minus reniti potuerit motui raptus & primi mobilis. Quare omnino etiam constat, huius motum perfectiorē fu isse, & supra Lunam collocandum esse.

5. à motus Analogia.

Quod autem in Mercurij Regionem collocandus sit, vt ex parallaxi demonstravit Cornelius Gemma: sic nos ex Analogia motus eius ad motum Mercurij probamus. Quamvis enim nō ad amussim eius vestigijs inhęserit, eo nomine quod suum proprium circulum super alio quam Mercurij Polo secutus fuerit: quia tamen in Mercurij cœlo constitit, quam proximè etiam motum illius æmulabatur, in velocitate & tarditate, stationib⁹ & retrogradatione. Quemadmodum enim Mercurius in annuo spacio, quatuor Zodiaci quadrantes perficiens, quater etiam ferè est retrogradus, quater velox & directus, octies verò stationarius. Sic Cometa noster exactè vnum circuli sui quadrantem perficiens in vnius anni quadrante, semel fuit retrogradus, semel directus & velox, bis verò stationarins, in longitudinibus Epicycli medijs, vt vel hoc nomine constet in Mercurij Sphæra rectè obsservatū fuisse Cometam & collocatum.

Ex omnibus igitur hactenus adductis non tantum mihi suspecta redditur Aristotelis sententia de generatione, materia & loco Cometarum, sed vniversa etiam doctrina de aëris amplitudine & partitione à peripateticis tradita, vt planè subscribam Domino Cornelio Gemmæ, qui statuit, minimum spacij esse, quod aëris regioni sit tribuendum: Latissimum contra, quod cedat vnius ætheris elemento, idemq; nō ignem esse, sed vt illius verbis vtar, Lucentem aliquam sedem magisq; concretam vi Principis formæ &c. Cuius rei omninò mihi fidem facit vel Aristotelis argumentum, contra Pythagoricos, demonstrans corpora cœlestia, ob hanc causam non edere sonum, vel Musicum concentū, quod

orbes

orbes non violenter moveantur, nec vſpiam impingant, & taciti labantur, cum ſine plaga ſonus effici non poſſit, vt ex definitione ſoni patet. Quod ſanè vt in orbibus cœleſtibus verum eſſe, facilè Ariſtoteli conceſſero: ita videre non poſſum, quomodo vel ipſe aër, vel Cometæ in aëre motu diurno ſine plaga, violentia & ſonitu circumferri poſſint: cum ille motus aëri non ſit inſitus, ſed ex primo mobili velociſſimus, & rapidiſſimus, & violentiſſimus. Quare Cometarũ etiam corpora, cum ſint grandiſſima, ſi in aëre conſiſtunt, & in aëre motu illo diurno rapidiſſimo circumaguntur, omninò ſonum etiam excitabunt graviſſimum & acutiſſimum, qui non modò audiendus foret, & percipiendus, ſed eò magis terram concutere deberet, quam corpora cœleſtia (quod obijcit Ariſtoteles Pythagoricis, ſi cum ſonitu moverẽtur) quod terræ ſint Cometæ, illis multò propiores.

Cum autem nullus talis, nec ſonus, nec terræ concuſſio ex Cometarum motu audiatur & percipiatur, Concludimus inde illã regionem ſublunarem, in qua motu primi mobilis circumferuntur Cometæ, magis ad ætheris elementum quàm vel ignis vel aëris accedere, motumq; Cometarum proprium, multò ſublimiorem cauſam habere, quam Ariſtoteles tradiderit, inſitam ſcilicet aliquam principis formæ vim, &c.

Concludimus etiam ex ſuperioribus Argumentis, & infra & ſupra Lunam, in qualibet Sphęra in Firmamentum vſq; conſiſtere poſſe Cometas & collocari, aciterum adimi à Deo, quotiescunq; illi viſum fuerit: non morantes illos, qui dicunt cœlum nõ recipere vllas peregrinas impreſſiones: aut Deum nullas novas creare ſpecies. Quod enim aliquãdo ætherei fuerint Cometæ, ex hiſtorijs, adductis exemplis & teſtimonijs ſatis ſuperq; confirmavit Thaddæus Hagecius in prædicto ſuo de Stella ſcripto, vbi rectè monet etiam vir doctiſſimus, Philoſophiam non omnia indagare poſſe, nec in admirandis Dei operibus oportere nos inquirere illud vſitatum QVOMODO, ſed contentos eſſe debere eo, quod etiamſi Quomodo fiant ignoremus, dummodo quod fiãt ſciamus. Melius enim ſic illuſtrari Gloriam & virtutem Dei non poſſe, quam ex eo, quod quandoq; præter ordinem naturæ aliqd

operatur,promitq; ostenta singularia, præsertim si homines singulariter etiam admonere voluerit. Ex quibus ostentis Cometas illos diviniores multò & nobiliores iudicamus, qui in aliqua cœlesti Sphæra constiterint. Quare etiamsi prædictorum infra Lunam etiam existentiũ Cometarum natura altius petenda sit, quam hactenus à peripateticis factũ: cum hoc tamen nostro Cometa neutiquam comparari posse, sequentibus rationibus moveor. Vtcunq; enim super vniversali Cometarum circulo ortũ habuerunt,mox tamẽ declinantes super Polo certo nõ sunt progressi regulariter: Hic Cometa autẽ super Polo suo perpetuò cõstanter& regulariter progressus,ab illo longius in declinationem nõ recessit quàm vel Planetæ à Polo Zodiaci solent. Cometa anni 1556 propius accedebat ad naturã Cometæ huius & Stellę vt superiori capite ostendimus, hoc ꝑculdubio nomine quod propius etiam ad Sphæram Lunæ accesserit,& vt prodromus esset horum duorum Signorum.

Præterea q̃cunq; in alijs Cometis rarissimè vsu venire solent, & si fiant, vnum tamen ex illis vix contingat: illa inquam omnia quasi coacervatim in hoc Comete coinciderunt.

Rarò contingit, Plinio authore, Occidentales esse Cometas: hic in occidente semper conspectus fuit. Et quamvis sub finẽ Solem antecesserit: ob raritatem tamen corporis eius conspici non potuit in ortu. Rarò Meridionales sunt, sed plerunq; Septentrionales: hic tamen prima apparitione fuit Meridionalis.

Rarò conspiciuntur hyberno tempore: hic autem æqualiter præcessit & secutus est Solstitij hyberni tempus.

Rarius cõsistunt in Ecliptica & intra Tropicos:hic in ipso Tropico ♑ & Solstitio exortus, ad Tropicum ♋ vsq; pervenit limites tamẽ Tropicorũ non excessit. Rariores multò sunt cœlestes & ætherei Cometæ: hunc cum Stella æthereum fuisse & in æthere collocatum in regione Mercurij demonstravimus.

Rarius autem multò contingit,& vix demonstrabitur Cometa,qui in talibus Galaxiæ finibus exortus fuit,ex quibus ita exactè cum Stella nova Mundi cardines concusserit,& præcipua loca:in quamcunq; cœli partem respiciamus.

Rari-

Rariſſima autẽ ſunt, imò nunquam conſpecta nec audita, quæ de motus æqualitate & Harmonia ad Stellam demonſtravimus: de circuli item illius, Polorum & Axis Symmetria ad Zodiaci & Mundi tum circulos tum Polos tum Áxes, exactiſſima. Quare ex omnibus quæ Cometa hîc in generatione, in Tempore, in loco, in ſubſtantia, in ſpecie & figura, in lumine, in curſu & motu, in Harmonia præter communem & vſitatum morem aliorum Cometarum habuit: Concludimus, hunc non eſſe naturalem, nec naturali Syderum concurſu exortum: ſed in ſecretis reponendũ, eſſeq; occultum opus, non naturæ, ſed Dei, præter naturam excitatum, & miraculoſè potius quam naturaliter à Deo creatum, & in talem cœli locum repoſitum, vbi ab omnibus in vniverſo orbe terrarum conſpici potuit & debuit, vt eſſet cum Stella alter nuncius futurorum his vltimis temporibus in effectum ducendorum.

CAPVT VII.

De Significationibus.

CVm igitur conſtet ex ſuperioribus, & Stellam & Cometam eſſe ex eorum operum Dei genere, quæ ipſe ex providentia ſua contra vſitatum naturæ ordinem iam vſq; à condito Mundo facere conſuevit, (Miracula vocant, prodigia, portenta ſigna) omnium verò rectè ſentientium iudicio, ſecundum dictum Eliæ, iam vergat ad finem Mundus, & vltima nos vrgeant tempora: Ideo iudicandum omninò ex illorum portentorum numero eſſe, de quibus Evangelium inquit, Erunt Signa in Sole & Luna: & iterum. Dabo Signa in cœlo ſurſum, & prodigia in terra deorſum. Sybilla igitur Babilonica noviſſima tempora deſcribens ſub decimo ſeculo, duorum ſignorũ crebrius mentionem facit, quæ Stellam & Cometam noſtrũ eſſe primum demonſtrabo, propter illos qui ſcriptis ſuis negarunt, deinde ſignificata perſequar.

Sermon: 2 inquit.

Tunc autem Signum dabitur divinitus ingens:

Namq;

Namq; relucebit clariſſima Stella, coronæ
Aſſimilis claræ, ἀπ' ὀρανῦ αἰγλήϝντος
Lucibus haud paucis &c.

Quorum ſanè Sybilliacorum primo, Stellę modus generationis non naturalis deſcribitur, cum dicitur, μέγα σῆμα θεὸς ποιήσει, Deus, non natura faciet magnum Signum. In ſecundo, forma eius, quæ futura non inſtar Cometarũ in longum exporrecta, ſed Stella clariſſima, inſtar coronæ radijs circumdata. Tertiò, locus ſtellæ altus in Caſſiopeiæ ſede invenitur, cum ἀοσὴρ παμφαίνων dicitur. Ex hac enim totum vniverſum a Polo ad Tropicum Capricorni vſq; illuſtrare potuit: Etquidem ex Firmamento. Nam nomine αἰγλήεν]α ὀλύμπου cœlum ſtellatum intellexit etiam Homerus. Iliad. α.

In quarto Carmine diuturnitas temporis exprimitur, cum dicitur ἥμασιν ὀλίγοις. Maximè mirum enim eſt in 15 vſq; conſiſtere menſem potuiſſe, viſui noſtro ſatis conſpicuam. Cometam verò etiamſi vnica ſaltem nota deſcribat Sybilla Serm: 3. his verbis:

Sole ſub occiduo verò vocitata Cometa
Stella relucebit.

Melius tamen fieri non potuiſſet, quàm à δύσει, id eſt, Solis occaſu. Nam ſupra id, quod in occaſu conſtitit (quod etiam alijs Cometis accidere poteſt) inſuper omnes Solis occaſus deſcripſit, extra illos verò alios nullos, quod de nullo Cometa ex hiſtorijs afferri poterit: vt illud Signum etiamſi vnicum ſit: Cometę tamen Anni 1577. proprium quarto modo ſit ſolum & ἀχώριστον. Serm. verò 5. Cometam vlterius perſequitur his verbis.

ΑΛΛ' ὅταν ἐν τετάρ]ῃ ἔτε& λάμψῃ μεγας ἀσ̃τὴρ,
ἥξει δ' ὀρανοθεν τ' ἀσ̃τὴρ μέγας εἰς ἅλα δεινὰ,
καὶ φλέξει πον̃τον βαθιὰν.

Cum igitur bis dicat μέγας ἀσ̃τὴρ, videtur Cometam exprimere velle à magnitudine, cum Stellam antea vocaſſet μεγα σῆμα, quemadmodum enim Cometa magnitudine & formæ raritate ſtellam ſuperavit & reliquos Cometas: ſic Stella viciſſim Cometas omnes miraculi & ſigni ipſius magnitudine.

In primo deinde Carmine tempus inter Cometam & Stellam quatuor

quatuor annorum in ſpecie & exactè exprimit, cum antea in ſermon: 2. in genere dixiſſet, Binas illas faces ſe invicem ſecuturas properantibus annis, πτερόεντος χρόνοιο. In ſecundo locum Cometæ in Aethere non in aëre exprimit per ὑράνοθεν. In tertio Cometam à globo terreſtri deſcribit, vbi videtur illum verticalem facere Zonæ torridæ, cum dicit, Altumq; exuret Pontum.

Cum igitur Sybilliaca de noſtri temporis Signis intelligenda: non dubium eſt, quin ſub iſtis omnia illa deſcripſerit, quæ ſub finem eventura ſunt & bona & mala. Et bonorum quidem Stellã prænuntiam feciſſe, apparet ex illis, quæ Stellæ præmiſit.

Serm. 2. Rurſum magnus Deus incola cœli
Relliquias hominum penitus ſervabit vbiq;.
Tum pax, & veri prudentia ſumma vigebit,
Terraq; frugiferens fruges feret vberiores,
Ne diviſa quidem, neq; ſervitura deinceps.

Sicuti Serm: 3. Cometam malorum Prodromum fecit, cum inquit.

Heu Libyæ tellus, eheu mare, terraq;, gentes
Occiduæ, vobis orietur tempus acerbum.
Vobis luctandum magni certaminis æſtu
Et gravis & duri.

Et mox de eodem Cometa.

Stella relucebit, gladij mortalibus index,
Et famis & mortis, præclarorumq; virorum,
Atq; ducum interitus, magnorum nobiliumq;.

Libro item 8. de decimi ſæculi Signis.

Sidera multa deinceps, ſplendentemq; Cometam
Appellant homines Stellam mala ſignificantem,
Imminet vt multum bellum, vaſtatio, ſtrages,

Cauſam malorum omnium Sybilla in neglectum Dei cultum verum & Idololatriam reijcit: nec non vitioſam hominum licentiam. Serm: enim 3. Cometæ præmittit.

Omnibus eſt rigida pereundum ſorte, quod Aedem, — Apocal. 11. Dan. 12.
Aeterni magnam graviter violaſtis, eamq;
Ferratis graviter mandiſtis dentibus &c.

Serm. 5. de eodem Astro magno, inquit.

Hoc solum perdet terra omnem, propter honorem
Ipsi Neptuno primum posuere marino,

Id est, quod adoraverint bestiam, quæ de mari ascendit, Apocal: 13.

Et mox.

Exuretq; ipsam Babylonem,
Italiæ terram, τῆς εἵνεκα πολλοὶ ὄλοντο
Ἑβραίων ἅγιοι πιστοὶ, ηδὲ νεὸς ἀλιβὴς.

ἐλευθερόπρεπεια. ἱεροσυλία.

2. Timoth. 3. Reliqua autem vitia deinceps persequitur, Et Licentiam pravam nostri temporis mox ante Stellam. Serm: 2. cum inquit.

Erumpetq; hominum vitiosa licentia passim,
Fanaq; diripient, hominum tum deniq; seclum,
Existet decimum: quando qui sidera fecit,
Concussor terræ, Statuarum franget amorem,
Et Romæ populum, quæ septem continet arces
Concutiet &c.

Et mox:

Pestes atq; fames Deus & sua fulmina mittet,
Illis, qui vivent expertes legis & æqui,
Existetque hominum toto defectus in orbe.

Quamvis igitur bonorum descriptio & illius etiam signum præcesserit, mala tamen antea eventura ex illis patet, quæ Stellæ mox subiungit:

Serm. 2.

Sed postquam toto Signum hoc extarit in orbe.
A teneris pueri vestiti tempora canis,
Arctabunt homines, mutato cardine rerum.
Pestes, bella, fames, lachrymæq; & luctus abundè,
Eheu quot viduæ lugebunt pignora &c.

Et mox

Cum quidam pro vatibus insinuati,

Serm. 3.

Fallaces aderunt in terris vaticinantes,
Et Belial veniet, facietq; insignia, At non
Vera, sed error ibi suberit, falletque frequentes,

Fidos,

Fidos, electos, Hebræos, lege carentes,
Atq; alios, nondum quibus est audita Dei mens. Catastropho.
Antichristi tamen iudicium mox subiungit,
Verum, quando Dei prædicta minacia magni
Advenient, terrasque petet flammata potestas,
Inflata, exuret Belier, hominesque superbos
Omnes, quotquot ei fuerint per fœdera juncti.
Totum verò negocium & decimi seculi statum, Serm. 5. planius explicat.
Iam non existent flammantia lumina Solis, Causa malorum.
Lumine nec claro splendebit Luna deinceps:
Cum Deus extremo regnabit tempore: Verùm
Omnia per terras caligo nigra tenebit,
Atque homines cæci, plangorque furorque ferarum Homines bestiales.
Tempore erit longo. postremo denique bellum Dierum 1260
Ingruet insanum, fallax ac insidiosum, Antichristus matrẽ Ecclesiam persequetur.
Matris & occisor quidam de finibus orbis,
Vir fugiens veniet, spirans immane, fremensque
Omnes qui terras vastabit, & omnia vincet,
Ante hominesque omnes prudenter cuncta videbit,
Et multos homines perdet, magnosque tyrannos,
Exuetque omnes, Alius faciebat vt olim, Antiochus.
Ast ex occasu nascentur plurima bella,
Per ripasque cruor rapidos manabit ad amnes, Epitasis.
Tunc tempestatum perflabunt flamina terram, 7. plagæ novissimæ, Apocal. 16.
Infaustoque solum bello replebitur eius,
Inque homines ignis de cœli depluet oris,
Ignis, sanguis, aquæ, fulmen, nox ætheris atra,
Et belli clades atque in caligine cædes.
Et Reges omnes perdet simul exinnosque,
Sed belli exitium capiet miserabile finem,
Et sapiens Populus gaudebit pace superstes Catastrophe.
Adversa expertus, lætis vt deinde fruatur.
Quod verò malis istis omnibus bonorum Signum, Stellam scilicet præmiserit Deus singulari providentia factum, vt ante-

quam ingruerent mala illa tempora electi consolationem haberent & expectationem bonorum: ne afflictionibus & tribulationibus fracti, succumberent tandem, & impijs consentirent: sed potius malis omnibus fortiter resistentes, virtute Dei vincerent & triumphum agerent. Quod Sybilla vult, dum Stellæ subijcit. Serm. 2.

Humanis nempe Coronam
De cœlo ostendet, qui præmia quærere certant.
Et paulò post.
ἀγνὸς enim Christus ponet certamine iusta,
Ornabitq; probos, æternaq; præmia reddet
Testibus, ad mortis certamen euntibus vsq?.

Et hæc quæ ex Sybilla hactenus adduximus, videmus omninò congrua Apocalypsi, vt quę illa decimo seculo expresserit, Iohannes per sextum & septimum angelum, Sigillum, Ecclesiam, tubā &c. sexto quidem mala, septimo bona. Eadem etiam Analoga veteri Testamento, de quo Author libri Oneris Ecclesiæ Anno 1531. impressi Anonymus. Ex quo constat, nos in sexto Ecclesiæ statu turbulentissimo versari, analogo huic Synagogæ statui, qui Christi primum adventum præcessit. Et vltimas turbas & Antiochi spiritualis conatum extremum instare, quo lapsu deinde graviore ruat.

Analogia desumpta ex Carione fol. 97.

Et vt hæc apertius dicam: Sicuti Iudæorum Synagoga in sexto statu varijs distracta erat sectis, tribus vel quatuor præcipuis, Pharisæorum, Essæorum, Sadducæorum: Sic nunc Ecclesia varijs partibus, quas Apocalypsis sub Sigillo sexto & Tuba sexti Angeli expressit, per quatuor Angelos tenentes ventos ne flarent super terram & in vllam arborem. Zacharias verò per quatuor cornua, quæ dispersérunt Iudam, Israelem & Iherusalem, ne vllus attollere caput suum ausus fuerit. Nec obstat nobis Antiochus, qui sub typo Antichristi tum temporis in Synagoga sæviebat maximè: Non video enim quibus rationibus negare quis possit, nunc Antiochum non sævire, vel plures etiam, cum quorundum animi varijs opinionibus ita sint distracti, vt articulos fidei etiam vel in dubium vocare, vel omninò evertere non vereantur: Insuper

Apocal. 7.
Daniel. 7.
4. venti. commoventes Mare.
Zachar. 1.
Antiochus Epiphanes.

quatuor

quatuor Angeli illi prædicti, soluti nunc sint: & parati in horam & diem & mensem, vt noceant hominibus, & tertiam illorum partem occidant. Apocal. 9.

Quo nomine fieri videmus, vt inter illos, qui Christianitatis nomen ferimus omnes. Charitas tamen fraterna, quæ Christiano homini magis insita & cohærens, quàm vel igni calor, evanuerit prorsus: & στοργὴ etiam naturalis, adeo, vt frater fratrem, filius patrem, vxor maritum ad mortem petat: & ferrū stringamus in amicos, affines, cognatos, agnatos, filios nostros, & viscera etiam nostra. Nec causa prætendenda est, ob pietatem illa & ad promovendum Christi Regnum fieri: cum eò truculentior distractio voluntatum sit, quò magis pietatis nomen & Religionis prætexitur. Si verò Iudam Machabæum mihi obieceris, qui Antiochi Epiphanis tyrannidem frenavit, & præclaris vsus victorijs templum recuperavit Iudæorum: Hunc tibi nec in Ecclesiæ statu sexto negavero. Hoc tamen probè tenendum, quamprimum humano præsidio inniti incipiamus, externis confisi: causa vocatione & officio suo in veritate cadere hunc necesse esse, sicuti ille olim in typo cæsus est & interijt, quamprimum fœdere inito conspiravit cum Romanis: vt nihil amplius deinceps tutum fuerit in Synogoga Iudæorum, vsque ad omnimodam ruinam & abditionem. Quare amicti saccis dicuntur prophetati fuisse duo illi testes Apocalypseos per dies 1260: quibus dieb⁹ Mulier seu Ecclesia in solitudinem aufugerat præ metu draconis, seu Antiochi spiritualis. Non video autem quomodo quidam Antichristi regnū tam brevi temporis spacio, vulgarium saltem dierum 1260 includant, cum in novo Testamento Angelici potius dies intelligendi sint: & tempore Apostolorum etiam Antichristus extiterit, adhuc tamen absconditus, vt ex Paulo liquet. Qui deinde mox post Apostolos manifestè & cum vt externi etiā gladij erumpere cœpit, & se manifestavit primum per Arrianos hæreticos, deinde subinde per alios, ad hæc nostra vsque tempora. Quo nomine ab illorum tempore numerum Annorum 1260. auspicandum censuero, & ab illis gladij externi vim quasi hæreditariò hucusque defluxisse. Cum verò iam in 6 Ecclesiæ statu currat ad calcem illo-

Thaddæus Hagecius.

Iudas Machabæus.

Apocal: 11.
Apocal: 12.

Antichristi origo.

1. Iohan. 2. 4.
2. Thessal. 2.
Hilarius contra Arrianos.
Dies Apocal. 1260.
Daniel. 1290.

rum annorum,& Diabolus modicum temporis habiturus sit,nō mirum si solutus, nunc intendat,vt gentes seducat, & eas in prælium magnum congreget ad evertendum sanctam Civitatem. De quo Augustinus: Hæc est novissima persecutio,novissimo imminente iudicio,quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: vniversa scilicet civitas Christi ab vniversa Diaboli civitate. Gentes quippe istæ,quas appellant Gog & Magog, nō sic sunt accipiendæ, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum Barbari constituti,sive quos quidam suspicātur Getas & Massagetas,propter literas horū nominū primas , sive aliquos alios alienigenas & à Romano iure seiunctos. Toto enim terrarū orbe significati sunt isti esse,cum dictum sit Apoca. 20. In angulis quatuor terræ, eosque subiecit,esse Gog & Magog. Hæc ille.

Apocal. 20. Lib. 20. de civit. Dei,ca. 11.

Sic etiam Hieronymus, Apocal. 13. vocat duas bestias,cap. 18. Babylonem: & Aegyptum & Sódomam cap. 11.

Cum verò mox horum pœna & judicium in Apocalypsi sequatur: sicuti etiam propter electos hos tribulationum dies decurtandos prædixerit Iesus: Et tempore tubæ septimi Angeli Regnum Domino & Christo reddendum fore,& arcam Testamenti eius in templo videndam affirmet Iohannes: Omninò sperandum, harum tandem turbarum finem fore, & malorū Catastrophen bonam secuturam. Quod Sybilla per Stellam intendere videtur cum subijcit, Serm. 2.

Matt. 24. Apocal. 11.

Apoc. 21.22.

Nam tunc incipiet magnum procedere seclum
Εἰς πόλιν οὐράνιον, Dispensatorque vacabit
Omnibus humanis, ἔχων πλέος ἀθανασίας.

Dispensatio 3.

Sic etiam lib: 7. vltima tempora describens, inquit,

Tertia sed cum sors vertentes duxerit annos,
Octavo primo,Mundus spectabitur alter,
Nox incredibili caligine longa manebit,
Tunc exhalabit teterrima sulphuris aura,
Nuncia cladis: eis fame dehinc & nocte peremptis.
Tunc hominum gignet puras in pectore mentes,
Restituetque genus,fuit vt tibi tempore prisco.
Roscida manna simul mandetur omnibus vna,
Nec Deus abfuerit illis qui cuncta docebit.

Dierum 1260
In 6. statu Ecclesiæ.
In 7. statu.
Ierem 30.
Esaiæ 2. 54.

Et libro quarto.

Ter-

Terra pijs autem nutrix habitanda manebit.
Dante Deo flatum, vitam, victumque, sed hæc sunt,
In decimo penitus seclo omnia perficienda.

Et in fine eius libri.

Fraterna charitas.

Contra iterum in terris vivent pietatis amici,
Seq; pijs omnes multum debere putabunt,
O nimium fœlix, veniet qui tempus ad illud.

Item libro 3. post enumeratas multas clades, & post fatale Cometæ tempus, inquit:

ὰ γαρ̀ μὴ θύσητε θεῷ, μέχρι πάντα γενῆται,
Tunc hominum tandem surget gens sacra piorum,
Qui præcepta Dei retinentes mente supremi,
Eius honorabunt casto libamine templum.
Nec vates deerunt, quos immortalis honorat,
Quique bonum portant cunctis mortalibus ingens,
Solis quippe Deus sanum donavit habere,
Consiliumque fidemq; bonamque in pectore mentem.

προφῆται. Vocatio.

Hos vates videtur Zacharias expressisse, per quatuor Fabros lignarios, qui venerunt ad deijciendum quatuor cornua gentium prædicta.

Si verò quis nobis obiecerit alteram Hierosolimorum civitatem in typo ædificatam post Babylonicam captivitatem in quinto statu Synagogæ: quare nos in quinto potius statu Ecclesiæ nunc versari, non sexto vel instante septimo. Cui ego respondeo, cum in quinto statu quietem non inveniam, sed primum potius væ per primam bestiam Ecclesiæ infligendum: & incurrente sextum alterum væ per alteram bestiam Pseudoprophetarum, sub finem verò eius status tertium væ & vltimum Antichristi conatum eumque graviſſimum, vt sicuti Ecclesia per duo priora væ culpaliter cecidit, ita in tertio nunc per Antichristum & ipse etiam pœnaliter tandem cadat. Quare sicuti primi Templi ædificatio non quidem facta in primo statu Synagogæ: veritas tamen Typi illius & impletio in primo Ecclesiæ statu per Christum & Apostolos primos: Ita alteram Restaurationem in veritatem alterius Templi, tempore vltimæ Tubæ in septimo Ec-

Agg. 2. Et erit maior gloria domus vltimæ quám primæ.
Apocal. 9. 13. Gog. Magog.
Apocal. 11. 20. Cecidit cecidit Babylon.
Apocal. 8.

mo Eccleſiæ ſtatu, deſignavit Iohannes per quietem mediæ fermè horæ. Illum verò multo antè prædixerunt Prophetæ ferè omnes, per vltimos in Eccleſia vates, præcipuè Malachias 4. capite, quem locum Tertullianus, Ambroſius cap. 4. in Epiſt. 1. ad Corin: Auguſtinus, Theophilactus, Ieronymus, Alcuinus lib. 3. de Trinit. cap. 19. de noviſſimo tempore interpretati ſunt: Et ſimiliter etiam vaticinati, hos ſequentes Rabanus, Rupertus, Tuicenſis, Abbas Ioachimus, Vbertinus, Theoloſphorus, Antonius Torquates & alij plures. Hæc igitur ex collatione Sybillæ & Apocalypſis afferre volui de noſtri temporis ſtatu, vt quarum rerū & ſtella & Cometa Signa forent, penitius introſpicere poſſemus. Quantum enim ad prognoſin attinet, non iudico illam cum alijs Cometis communem eſſe, vt principaliter aëris mutationes, indeque vel frigus, vel ſiccitatem, vel ſterilitatem vel infectionem peſtiferam ſignificent (quamvis hæc omnia, vt minus principalia admittam) ſed cum exactam & præternaturalem quaſi ad mundi cardines Symmetriam habuerint: iudicandum omninò illorum ſignificationes Metaphyſicas fore, omni miraculo & expectatione maiores. Quas cum abundè ſatis perſecuti fuerint inter illos quos ego legi: viri Clariſſimi Thaddæus Haggecius, ab Hayck Aulæ Ceſareæ Maieſtatis Medicus: Cornelius Gemma Lovanij Medicinæ profeſſor Regius, Et Guilhelmus Poſtellus Barentanus Gallus, cum de nova Stella ſcripſerunt. Igitur ego ſummariam ſaltem ſignificationum doctrinam ſub certis propoſitionib⁹ tradam, ſecundum illorum verba formalia, appoſitis ſaltem meis rationibus, quas ego ex Cometæ diſpoſitione & paſſionibus adducam, vt illi ex Stella nova fecerunt, vt omnibus manifeſtum fiat, Deū novis iſtis facibus ad ſuperiora ſignificata alluſiſſe, quantum videlicet ſignis externis tanta myſteria exprimi poſſunt, & præfigurari.

Apocal: 8.
Iere: 23 30.31.
Dan: 12.
Eſaiæ 2.35.30. 11.
Ezech. à 28. cap. in 40. vſque.
Mich. 4.
Oſe 3.
Zachar. 14.
Eſdra
Nehemia.
2. Theſſal. 2.
Matth. 17.24.
Lactan. Firmia. lib. 7. cap: 17. 19.

PROPOSITIO I.

Cum igitur conſtet & Cometæ & Stellæ proprium eſſe circulum, propriam item Axin & proprios Polos, diverſos à Mundi & Planetarum Polis axibus & circulis: Ille autem orbis ſive Sphęra nova prorſus ſit, & hactenus incognita fuerit à condito vſque Mundo,

Mundo, ideo tale miraculũ, quod alia omnia magnitudine excedat. Quare judico etiam novum prorsus quiddam, & vt verbis Thaddæi Hagecij vtar, inauditum à seculis portendere, quod omnem sensum & captum humanum subterfugiat.

PROPOSITIO II.

Cum autem Deus huiusmodi prodigijs non solum generaliter homines admonitos velit: sed ad eiusmodi constellationes & cœli loca collocet, ex quibus homines sagaciores magis specialẽ significationẽ venari possint, vt tantò magis moniti pij, tela prævisa magis etiam præcavere possint. Ideo nec curiosum, nec impium, sed plurimum ad pietatem & voluntatis Dei cognitionem prodesse judico, eiusmodi constellationes & passiones prodigiorum inquirere & expendere, in quo studio tamen cum modus tenendus sit,

Est quoddam prodire tenus, si non datur vltra.

PROPOSITIO III.

Cum autem eædem constellationes posito & Cometa & Stella in præcipuis Cœli angulis tum ascendentis, tum medij Cœli, eosdem angulos semper obtinuerint: nempe Aries stellati orbis, Pegasus, Andromeda, Medusa, Perseus, Cassiopeia, Cepheus: Iudicamus igitur illas expẽdendas, & inter cæteras symbola esse rerum grandium & admirabilium.

PROPOSITIO IIII.

Hæ autem constellationes omnes ferè cum imaginis humanæ sint & conditionis regalis, cum Thaddæo Hagecio, hominibus denunciare judicamus, ijsque in eminentia positis, adeoq; summis Monarchis.

PROPOSITIO V.

Quare cum Cassiopeia, Cephei Regis Aethiopum conjunx, sub figura primæ Monarchiæ inter imagines cœli posita fuerit: & omnes Priscorum Regnorum inaugurationes fierent, Arietis vellere aureo super Horizontem ascendente: dico cum Guilhelmo Postello, Cassiopeiæ fuisse adnatam Stellam, & Arietem stellati orbis super Horizontẽ ascendisse Cometa cum Aquila quartæ Monarchiæ figura culminante, ad denotandam insignem mu-

Lege librum Engelberti Abbatis Admontensis, impressum Basileæ per

tationem, nec non mirabilem Regni alicuius veteris metamorphosin vel cladem, & novi cuiusdam renovationem.

PROPOSITIO VI.

Quæ omnia confirmant Planetarum omnium fortis positus cum Stellis fixis regijs, primæ & secundæ magnitudinis cum spica, Lancibus, corde Scorpij, Fidicula & Aquila, tempore exortus Cometæ.

PROPOSITIO VII.

Ad quas causas accedit illa maxima, quod & Stella & Cometa in novo illo orbe constituti obtinuerint & respexerint perpetuò Cardines Mundi, & præcipua cœli loca, illa Aequinoctialia, hic verò Solstitialia semper: quæ quantam vim habeant, in generalibus huius Mundi eventis, Regnorum & rerum publicarum conversionibus, legum & consuetudinum mutationibus, denique etiam in particularibus eventis, moribus & ingenijs singulorum hominum, omnibus notum existit & manifestum.

PROPOSITIO VIII.

Vbi inprimis notandum, Cometam vtrinq; ab Aequinoctiali æqualiter recessisse, eoq; superius ab inferiori æqualiter etiam distinxisse: Axi item sua reliquas duas æquali sua distantia à Zodiaci axi, proportionales fecisse: Et ratione Colurorum tum Stellam tum Cometam dextram cœli partem à sinistra diremisse, nõ minus quàm leges tum humanæ, tum divinæ rectum ab aliquo errorum tenebras à veritatis & justitiæ luce distinguunt, vt rectè infert Cornelius Gemma.

PROPOSITIO IX.

Insuper cum Cassiopeia sub typo Monarchiarum postquam diutissimè in contemptum Dei adoleverunt, resupinato capite, quasi ex solio suo esset deijcienda, circumagatur, turpiterq; ibi sedeat: Medusa autem sub typo Antichristi capite truncato pingatur: Ideo judicamus vitiorum (quibus nunc Mundus maximè tenetur) licẽtiæ scil: carnalis, nimiæ securitatis, fastus spiritualis, superbiæ, arrogantię, Idololatriæ & Dei contemptus pœnam mansuram esse omnes, vt statuat Guilhelmus Postellus & scribat, Revolutionẽ imminere nigris illis animabus (metaphora à Cassiopeia Aethyopissa sumpta) ita vt aut illæ sint, quatenus sanctis imrare

perare volunt, funditus ruituræ, aut propter eas vniversum.

PROPOSITIO X.

Hæc mala autem hominibus potius ijsque contumacibus, sectarijs & impœnitentibus, quàm Religioni ipsi eventura, cum Paulo Fabritio arguimus, quod ascendente Cometa, Venus ab initio, Iupiter autem semper sedem in nona domo Religionis cũ Spica habuerit.

Propositio xj.

Humilibus aut pœnitentibus & Ecclesię membris vitam novã novas vires, flatum, motum, augmentum, calorem, lucẽ & splendorem Luna promittere videtur, quod eo tempore quo Cometa omnibus apparere cœpit, à Sole modo prodierit, novis viribus & luce prædita, & deinceps incrementum sumens, cum Cometa gradum dirigere visa fuerit, statim ab ipso hybernæ conversionis initio, ex quo dies augentur noctibus imminutis, animarum ascensus, vitalisq; caloris incrementa à Philosophis perhibentur, vt benè notavit Cornelius Gemma.

Luna: Cant. 6. Psal. 89. Novilunium Deut. 16.

PROPOSITIO XII.

Quare errorum & tenebrarum nebulis discussis, vt Religionis verum & fervens studium ex Stella prædixit Thaddæus Hageci⁹, propagationem item vnius ac solius purę putæq; cœlestis doctrinæ per fideles in Ecclesia Dei doctores per longum & latũ: ita nos ex Cometa illo, quod respectum ad Solem habuerit, eius parallelos omnes describendo, extra illos verò alios nullos proprios, inferimus quod Ministri Ecclesiæ illi doctrina maximè respecturi sint ad Solem ipsum Iustitiæ, Christum videlicet eius solius gloriæ intendentes, nec moturi alios parallelos, id est, quæstiones & disputationes inutiles & philosophicas, sed maximè intenti erũt, vt conscientiæ sana doctrina ex Dei verbo ædificentur, non multitudine opinionum & novitate dogmatum confundantur & destruantur.

Sol Iustitiæ: Malach: 4.

PROPOSITIO XIII.

Quod verò Cometa motu suo tanq̃ digito monstret ad Stellã novam, judicamus cum eodem Hagecio. Homines à terrenis & elementarib⁹ ad cœlestia, à caducis ad æterna, à creaturis ad creatorẽ, à tenebris ignorantiæ & vanitate humanarũ opinionũ & sectarum ad Stellam veræ scientiæ, hoc est, ad Christi agnitionem

Stella ex Iacob. Num: 24

veram, quæ ſecundum Spiritum eſt, & totius noſtræ ſalutis car-
Iohan. 17. do, vocari, invitari & impelli.

PROPOSITIO XIIII.

Motus autem Cometæ ad Stellã novam, novo prorſus & ter-
tio modo proportionali inſtitutus ſecundum Geometricam æ-
Guilhelmus Poſtellus. qualitatem ſcilicet, videtur reſpicere tertium illud & vltimum,
Actor. 3. quando videlicet Chriſtus, ad tempus Reſtitutionis omnium, ſe-
1. Cor. 2. cundo ſuo, qui intra nos fit adventu, per Spiritus ſancti coopera-
tionem (quem qui non accepit Chriſti non eſt) membra ſua ex-
Heb. 3. 11. citaturus eſt: vt Evangelium & fides noſtra non tantum ſit in ore
& perſuaſorijs humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtentatione ſpi-
ritus & in potentia Dei, priuſquam ad vltimum judiciũ ſiſtamur,
2. Timot: 3. judicandi ex illis quę δλύαμιν ſalvificam & ὑποστάσιν accipiẽdorum,
ſecum non fucum ſaltem & pietatis ſpeciem præ ſe tulerunt.

PROPOSITIO XV.

Structura Aedis, Apocal. 21. Inprimis autem myſticum erit Triangulum (omnium figura-
rum ſimpliciſſima & prima) quod Cometa & Stella ratione co-
lurorum efformant Scalenum, perfectiſſimum tamen, quod la-
60. 90. 120. tera conſtent ex tribus ſingularibus aſpectibus ſibi invicem pro-
Canticum novum portionatis: nec inſuper myſterio carebit Cometę motus ſecun-
Apocal. 14. 19. dum proportiones maximè Muſicas & harmonicas inſtitutus,
quid verò illa ſibi velint aliorum eſto iudicium.

PROPOSITIO XVI.

Verum, quantum ad locum attinet: cum Cometa per mediũ
LOCVS. vniverſi ęqualiter ingreſſus fuerit, ęqualiter etiam conſpectus ab
omnibus in vniverſo orbe terrarum, etiam ab illis qui ſub ipſis
Polis habitare poſſunt Arctico & Antarctico: Ideo iudicamus
prædictas ſignificationes vniverſales fore, & vniverſalem muta-
tionem in toto orbe terrarum imminere.

PROPOSITIO XVII.

Paulus Fabritius. Magis tamen illis Regnis & nationibus minari iudicamus, quę
poſitæ ſunt per medium globum terreſtrem ab Aequatore vel
Tropico Capricorni vſq; ad Polum Boreum vel Septentriona-
lem: ratione ſumpta ex eo, quod Cometa à Tropico ♑ ad Stellã
in borealibus poſitam fuerit promotus.

Pro-

PROPOSITIÓ XVIII.

Imprimis autem illud notandum, quod Cometa ratione veri motus lineæ à media recedens & accedens reſpexerit extremos Europæ limites, Horizontem videlicet 45. grad: & 60: cui illi verſus Meridiem Polus Cometæ etiam verticalis ferè fuit, huic verò verſus Septentrionem Stella nova. Ab initio verò & ſub finem & reſpectu lineæ medij motus ſemper Horizontem 52 grad: medium Europæ & exactè Germaniæ reſpexit. Quare hoc indubitatiſſimi ominis loco iudicandum in genere vniverſæ Europæ, imprimis verò Germaniæ & Galliæ, vel hoc nomine etiam, quod Horizon elevat. 48. grad: exactiſſimè reſpiciat Axin Cometæ Polo eius in Meridiano Horizontem ſtringente. Elevat. 42. grad.

PROPOSITIO XIX

Sicuti autem Cometa Anni 1556. ominoſus fuit Hiſpanico inferioris Germaniæ Regno hoc nomine, quod in Septentrionem progreſſus circulum per æquinoctialia puncta incedentem, & Axin Zodiaci reſpicientem ſecuiſſet, in verticali illorum Parallelo, ita idem illud ſectionis punctum, & Zenith, ſit nunc Polus circuli Cometæ, illius qui per ſolſtitialia puncta incedit: Quare ſicuti Cometæ ille Prodromus fuit harum turbarum inferioris Germaniæ ominum, ita metuendum, noſtrum Cometam eas perſequi & augere ſignificationibus ſuis velle, malumq; latius in vicinas Europæ partes ſerpere exinde poſſe, quod omen Deus avertere velit.

PROPOSITIO XX

In prædictis autem Regnis, loca punctis Cardinalibus ſubiecta, hoc eſt, primo quadrangulo, Arieti videlicet, Libræ, Capricorno & Cancro adhuc evidentius ſentient vires, tum Stellæ, tum Cometæ, cum exactiſſimam Symmetriam habuerint ad Mundi cardines. In quæ loca etiam Eclipſes proximæ effectum ſuum intendunt, nec non Martis & Saturni conjunctio in Capricorno menſe Martio facta.

PROPOSITIO XXI.

Et iſtas particulares tum Eclipſium tum Synodorum ſignificationes mox hoc anno & ſequenti in effectum ducet & ſtimulabit TEMPVS.

Cometa. Quando autem eiusmodi mutationes vniversales & effectus inchoaturi sint, articulum quidem temporis determinare non licet. Ex præsenti tamen Religionis & Rerumpub: statu judicandum, semina malorum jacta esse: & futuræ Tragœdiæ πρόταξιν aliquo modo apertam. Cum autem Deus nunc alterum præconem novum hunc & insolentem præmiserit, hoc nomine factum puto, vt deinceps in manifestū effectum, incrementū & vigorem plenū res eiusmodi mirabiles ducantur. Creditur autem effectus diuturnus fore, cum ad occasum fuerit Cometa, & diu etiam duraverit fulgor eius & Stellæ.

PROPOSITIO XXII.

Quod autem his temporibus vltimis magnæ immineant mutationes. tam in ecclesiastico quàm politico statu, etiā alijs rationibus astronomicis cōfirmatur: præcipuè verò, quod Sol iam ferè sit in imo parvi sui circuli & terræ ferè proxim⁹. Deprehensum autem est, semper insignes mutationes fuisse, & omnes Monarchias cœpisse, cum Eccentrici Solis centrum, in aliquo insigni huius parvi circuli loco fuerit.

PROPOSITIO XXIII.

Idem etiam confirmat numerus sex transactarum magnarum conjunctionū, ab Adamo octingentis ferè semper annis completarū, cui primæ magnū signum fecit Enoch, secundæ Noah: tertię Moses: quartæ decem tribus Israël in Samariam adductæ: quintæ Christus & Augustus Cæsar: sextæ Carolus Magnus.

PROPOSITIO XXIIII.

Anno 1584. Septima igitur cum nunc immineat, fiatq; ex Aqueo Trigono in igneum impijs formidandum, pijs autem omnibus optatum permutatio, iudicandum certè illud septimum & vltimum Apocalipseos tempus instare, quo Christus gladio bicipti & Spiritu oris, bestiam cum pseudopropheta interfecturus, Ecclesiam suam liberabit, & brevi Sabbatum naturæ facturus est. Quod omninò arguit Cometa progressus per terream, aëream, aqueam triplicitates, exactè respectu suæ Axis in igneam, ceu signū Arietis, Mundi totius cardinem primum, quem perpetuò etiam Stella in Coluro Aequinoxiorum respexit.

2. Thessal. 2:

Pro-

PROPOSITIO XXV.

Postquam verò semper ἀναλογικῶς in Aqueo triangulo sectæ obortæ fuerint, ante Christum Iudæorum, ante Carolum Magnũ Sarracenica: In igineo verò transplantatio veritatis, hac tamẽ lege, vt priores semper pœnæ dederint: in tertio ab hinc Triangulo Iudæi puniti & Christi regnum fundatũ: in altero Orientalis Ecclesia eversa, & in Occidentem propagata: ideo valdè metuendũ est, ne eadem mala nunc Occidentalis Ecclesia similibus mutationibus & plagis experiatur, quod dirus Cometa ex linea motus sui Europæ interminatur. Evangelium verò in barbaras Septentrionales Nationes propagandum, Stella verticali suo parallelo denunciare videtur, nec non læta & bona plurima apportare.

Conclusio.

Quare, quemadmodum Stella illa sub nativitatem Domini Salvatoris scilicet testata est olim Magis Orientalibus salutem Orbi partam esse, & Christum in carnem veniſſe: sic orandus Deus Omnipotens, facere velit nunc similibus prodigijs, vt consimilem quoque Occidentales nos mutationem in nobis omnibus experiamur: renascaturque in nobis Christus sub secundi sui adventus circuitum: Et gratia eius illucescat per Spiritum Sanctum omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis concupiscẽtijs sobriè, & iustè & piè vivamus in præsenti sæculo, expectantes beatam spem & illustrationem gloriæ magni DEI & Servatoris nostri Iheſu Christi.

Stella sub 1. Christi adventum.

Stella sub 2. Christi adventum.

Tit. 2.

A M E N

APPENDIX.

DE ANNIS A STELLA CRITICIS, EX quibus fundamentum prognoseos petitur.

Vt microcosmus homo quãdo morbo aliquo correpto, illius mutationes graviores sẽtit certis quibusdã diebo: Ita Macrocosmus mundus senio jam cõfectus extremoq; morbo correptus, mutationes quoq; habeat, necesse est, easq; certis quibusdam annis criticis, vt ille diebus. Cum autem stella nova tanquã signum

signum illarum mutationum prȩceſſerit, vt ſuperius demonſtravimus: ideo à fine huius criticos illos annos omnes auſpicandos cenſemus: idque eò magis, quod primo critico indicatorio anno videlicet 4. à Stella magnus ille Cometa apparuerit, tanquam ſignum certiſſimum, morbum nũc radices egiſſe: quare criſeȣs ſemina prima iacta eſſe, & præludia per totum orbem ſparſa, quæ ſequentibus deinde annis criticis effectum ſemper magis magisque ſint habitura, donec ab augmento in ſtatum perventum fuerit, indeq; per declinationem ad finem Mundi vſq;. Quare judico in poſterum ſedulò obſervandos ſingulos à Stella criticos annos 7. videlicet 9. 11. 14. 17. 21. 27. 40. Et hi ſanè primi quadragenarij critici ſunt: ſecundi criticus annus 80 eſt: tertij quadragenarij 120. criticus. Illi critici autem debent nobis eò magis commendati eſſe, quod ijs aptè correſpõdeat Analogia veteris & novi Teſtamenti: coincidant prophetiæ omnes & oracula, in ijsq; finiantur & claudantur: accedant inſuper naturæ ipſius teſtimonia, deſumpta ex magno Libro Mundi & creaturarum, quod nunc per ſumma ſaltem capita attingam.

Cometa ſignum indicatorium.

De primi quadragenarij criticis annis ab Anno Chriſti 1574. in 1614. vſque.

IN primi quadragenarij criticos annnos incidit prognoſticum illud quod de fatali anno 1588. prædicatur.

Tauſent fünffhundert achzig acht/
Das iſt das Jar das ich betracht/
Geht inn dem die Welt nicht vnder/
So gſchicht doch ſonſt groß mercklich wunder.

Cauſam huius prognoſtici aliam nullam ſcio, quàm quòd tot annis Iudæorum Synagogam conſtitiſſe quidam volunt, nimirũ ab egreſſu filiorum Iſrael ad abolitionem & devaſtationẽ Templi omnimodam ſub Veſpaſiano ab eius filio Tito factam. Cum autem Synagogæ typus fuerit Eccleſiæ, rationabiliter inde concluditur, peculiare nũc & magnum aliquid impendere Eccleſiæ, cum ille annorum numerus nunc abſolvatur. Alij numerũ Synagogæ Moſaicæ ad pauciores annos reducentes ad 1580 circiter nihil

Typus.

Veritas.

nihil ſententiæ huic detrahunt: ad noſtra certè tempora numerũ annorum illorum incidere, ſive à morte ſupputentur, ſive à natali Chriſti, conſtat omninò & certum eſt.

Huc accedit numerus Apocalypſeos 1260 dierum vel menſiũ 42 (ſingulis videlicet menſibus 30 dies aſſignando) Si igitur pro diebus annos ſumas, & principiũ deducas ab Arrianis hæreticis, quod omninò fieri debet: manifeſtum evadit, eos etiam annos in primos à Stella criticos incidere. Prophetia.

Inſuper Anno Chriſti 1583 & 1584 habemus mutationẽ aquei trianguli in igneum, qualis etiam fuit tempore Chriſti, & compertum eſt ſemper magnas mutationes accidiſſe, Planetarum Periodo ad principium Arietis delata. Accedit & illud quod in iſtos à Stella annos ad quadrageſimum vſque creberrimæ incidant, & maximæ Eclipſes Luminarium, quales multis ſæculis antea non fuerunt. Natura.

De Critico primo quadragenario qui incidit in Annũ 1614.

SI annorũ Synagogæ veteris Teſtamenti 1580. initium ſumas à paſſione Chriſti & Spiritus ſancti miſſione, à quo tempore Eccleſiæ rectè ſumitur initium, finientur in novo Teſtamento circa quadragenarium primum (ſecundum noviſſimum tamẽ Gerardi Mercatoris calculum, finiti ſunt Anno Chriſti 1520.) Typus. Veritas.

Sic finis Dierum Danielis 1290. quibus Civitas ſancta data eſt Gentibus conculcanda, incidit etiam in eũndem quadragenarium primum, ſi principium illorum ſumatur ab Arrianis, quod fieri debet.

Ad hæc Eccentricicas Solis ferè eſt minima & terræ proxima, durante adhuc igneo triangulo. Natura.

Quod verò per dies Apocalypſeos & Danielis Anni intelligendi ſint, exinde patet, quod ijsdem ſtatim capitibus mentio fiat temporis temporum & dimidij temporis: quaſi per iſtos longum annorũ tempus innuere voluerint: patet idem etiam ex 70. Danielis hebdomadibus.

Quod verò illi numeri ab Arrianis principium ſumere debeant, intelligent illi, qui Hilarium contra Arrianos legerint. Ab

illis enim Civitas ſancta pedibus conculcari & Abominatio in loco ſancto ſtare cœpta eſt, dum ſubindé in exilium miſſis & fugatis bonis Paſtoribus, illi hæreſin ſuam in Eccleſiam reponebāt, & authoritate Magiſtratus obtrudebant, quod novum prorſus & nunquam antea auditum erat in Eccleſia.

De Critico ſecundo Quadragenario à Stella nova, qui incidit in Annum Chriſti, 1654.

Figura. AB Adamo ad Diluvium effluxerunt 1655 Anni. Cum autem primus Adam typus fuerit alterius, & Chriſtus etiam prædixerit adventum filij hominis fore, vt erant Dies Nohæ: ideò veriſimile eſt à cœleſti Adamo Chriſto ad Diluvium igneum fore etiam totidem annos.

Prophetia. Inſuper Dies Danielis 1335. finiuntur etiam iſto quadragenario, illorum initio ſumpto, vt antea ab Arrianis, quia prioribus diebus ſtatim ſubijciuntur. Poſt finem autem horum dierum noviſſimum diem adfore vaticinari videtur: cum dicat, Beatus ille, qui perſeverabit & perveniet ad dies &c. adde quod eodem in capite mentionem vltimi judicij faciat.

Natura. Circa eadem illa tempora minima iam eſt Eccentricicas Solis, & Eccentrici eius centrum in imo ſui parvi circuli, ſub igneo adhuc triangulo.

De tertio à Stella quadragenario critico, qui incidit in Annum Chriſti, 1694.

Figura. VT Chriſtus 34 annos in carne nobiſcum ambulavit (ſecundum Gerardi Mercatoris ſupputationem) antequam mortem in cruce ſubierit, & ad patrem ierit: Ita iudicandum etiam 34 Iubileos annos fore complendos, vt in Spiritu Eccleſiæ ſuæ adſit, antequam in hoc ſæculo finiat, & Regnum Patri ſuo tradat.

Veritas. Triginta quatuor Iubilæi autem incidunt in Annum Chriſti, 1700. ſex Annis ſaltem differentes à tertio à Stella nova quadragenario. Aut ſi 33 ſaltem Annis Chriſtum in carne fuiſſe habere volue-

volueris: incipe Iubilæos numerare à morte vel missione Spiritus Sancti, quibus cum adduntur pauci Anni proportione dierum, quibus Christus vltra tres & triginta annos inter nos vixit: incident exactè ferè in tertium à Stella Quadragenarium.

Prophetia.

Secundò in hunc annorum Christi numerum ferè etiam incidunt Dies Danielis 2300. capite 9. post quos dies Sanctum reducendum affirmat ad justum atq; perfectum vsum. Qui dies etiamsi primò in figura spectent ad dies adflictionis Iudæorum, sub Antiocho Epiphane: maximè tamen ad veritatem novi Testamenti referendi sunt. Per illos dies autē annos numerandos, & à Daniele statim incipiendos, quæ sequuntur in prædicto capite, manifestè docet, cum inquit. Hi Dies mane ac vesperam compræhendunt: item in fine capitis. Dicta visio, vespere ac mane veritas, id est, extenditur per residuum tempus Legis & futurum Gratiæ.

Natura.

Tertiò. Circa illum tertium quadragenarium incipiet Eccentrici Solis centrum in imo parvi sui circuli adhuc constitutum, posterius iterum ascendere & sursum ferri.

Quare consentaneum est, summam mutationem fore, illo adhuc in Imo constituto, durante adhuc igneo triangulo. Cum autem maximæ & vniversales mutationes tantum fuerint Centro Eccentrici Solis, in insigni aliquo sui circuli loco posito, & in Igneo Triangulo Mundus etiam creatus fuerit, Diluvium acciderit, Christus primo advenerit: omnino concludendum, alterum etiam Christi adventum, Diluviumque igneum & finem Mundi fore eodem in Triangulo. Si verò nunc non fieret, necesse foret Mundum adhuc stare octingenta Annis, nam tot Annorum spacio Revolutiones modò recurrunt. Sed ille numerus Annorum additus Mundi Annis superaret sex mille Annos, contra dictum Eliæ. Quare iudicandum iam iam omnia perficienda, Cuius rei argumentum evidentissimum est, quod Stella nova perpetuò respexerit punctum Aequinoctij Verni, ceu Mundi totius Cardinem primum: Cometa etiam postquam per terream, aëream & aqueam triplicitates progressus fuisset

in igneam, exactissimè idem punctum respiciens, omninò ibi cõstitit per aliquot dies, tandemq; evanuit, quasi digito monstrare voluerint, tum Stella, tum Cometa, in illo triangulo igneo iam iam instante, omnes prophetias & oracula perficienda, & finem Mundi fore. Adde, si nunc sub isto triangulo fiat, tum Mundi finis convenit egregiè dicto Eliæ, quo de vltimo Millenario defuturos aliquot annos vaticinatur.

4. cap. 6. Insuper Esdrę interroganti de postremis temporibus Angelus respondet, tempus prius ac posterius inter se habitura in proportione magni ignis & exigui, magnæ pluviæ & exiguæ. Cum verò Esdra circiter annũ Mundi 3500 fuerit, & exinde iam supra 2000. elapsi sint, certum est, Crisin Macrocosmo vltimam & finẽ Mundo instare.

Et hæc, quæ hactenus adduximus de certis annorum numeris, non hoc nomine factum est, quasi articulum temporis describere voluerimus, hoc enim solius est divini numinis: sed vt demonstrarem, omnes prophetias iam claudi & finiri in ipsissimis quasi criticis à Stella nova diebus. Quare nihil restare amplius quàm vt vigilemus & sobrij simus, vitam nostram emendemus, Christoq; contrito corde obviam eamus: ne cum ita securi esse in posterum perrexerimus, dicentes pax & securitas, repentinus nobis superveniat interitus, & vltimus dies nos tanquam fur in nocte comprehendat. Persequar reliqua quæ huius rei satis evidentia testimonia habent.

De Tempore, Temporibus & dimidio Temporis.

ILLa tempora ab initio ad finem Mundi deduci possunt hac ratione, vt tempori tribuamus mille ducẽtos quinquaginta quinque annos vacui ab Adam ad Diluvium vsq;. Per duo autem tempora intelligitur vnum Legis à Mose ad Christum: alterum gratiæ à Christo ad finem Mundi vsq;, quod sive vacuo sive Legi correspondeat annorum numero, certum est ad calcem eius perventum esse. Deniq; dimidium temporis primi vel vltimi, 800 scilicet annorum à Diluvio ad Mosen, continens ex dimidio vacuum, ex dimidio circumcisionem. Si verò exactius prophetiam

Danic-

Danielis penſitemus, patebit, quod illud etiam poſſit ad tempora ſingularum Millenariorum aut certè Legis & Gratiæ applicari. Diſtributionem verò temporum fieri debere ſecundum generationes & membra: in quæ ſemper magnæ & inſigniores mutationes inciderunt, Matthæus Evangeliſta nobis demonſtraſſe videtur, dum ſecundum Millenarium Legis, per ter quatuordecim generationes dividit, ſingulis tribus temporibus, ſingulas 14 generationes tribuens, Ab Abraham ad Chriſtum vſque: Dimidium autem temporis inde ad deſtructionem Ieroſolymorum ſpectare videtur. Sed agedum inveſtigabimus, num etiam reliqui duo Millenarij primus & vltimus per triplicem diviſionem temporum in æqualia membra ſecundū manifeſtas aliquas mutationes dividi poſſint. Cap. 11.

I. Millenarius, Thohu Vacui.

Ab Adam ad Henoch primum tempus 6. generationum.

Temporum verò vnum ab Henoch ad Salah 6 itidem generationum. Alterum à Salah ad Thare 6. generationum.

Dimidium temporis à Thare ad Abraham vnius generationis 70. ſcil: Annorum.

II. Millenarius Legis.

Sic ab Abraham ad David 14 ſunt generationes.

A David ad Demigrationem Babilonicam 14 ſunt generationes. Matthæi cap. 1.

A Demigratione Babylonica ad Chriſtum 14 ſunt generationes.

A Chriſto ad Excidium vrbis Hieruſalem vnius hominis ætas 70. ſcil: annorum.

III. Millenarius Gratiæ.

A Iulio Cæſare ad Conſtantinum Magnum ter 14 ſunt membra ſeu 42. Imperatores.

A Conſtantino Magno ad Carolum Magnum 42 ſunt Imperatores.

A Carolo Magno ad Carolum quintum 42 ſunt Imperatores.

A Carolo V. ad numerum fatalem annorum Chriſti 1588. vnius eſt hominis ætas 70. ſcil. annorum.

In ſuprapoſitis ſingulorum Millenariorum temporibus illud inprimis notandum, ſive ſingulorum temporum ſingulos gene-
Myſterium numerorum. rationum numeros, ſive totum totius Millenarij ex omnibus generationibus aggregatum ſpectes : in illis ſic comparatum eſſe, vt ex ternario & ſeptenario tanquam perfectis numeris componantur, & in ternarium primum perfectum vltimò reſolvantur, ſicuti dimidium temporis Septuagenarius in Septenarium alterum perfectum exactè etiam reſolvitur.

Ad hæc tempora ſpectaſſe videtur Chriſtus etiam in parabola
Matth: 20. illa, vbi regnum Cœlorum Patrifamilias comparabat, qui egreſſus primum ſummo diluculo conduxit operarios in Vineam ſuam, deinde hora tertia, ſexta & nona, poſtremò vndecima.

Abel igitur, Enoch & Noah manè conducti & egreſſi, portarunt pondus diei & æſtum.

Vocatus autem Abraham hora tertia, ſexta David, nona alij poſt Babilonicam Captivitatem ſcili: vndecima, tempore Chriſti completa fuit.

Verte nunc Horologium, quod ſecundum Danielem fieri debet: & diſtributionem horarum novi Teſtamenti habebis ſecundum deſignata ſuperius tempora. Cum igitur nos nunc verſemur in dimidij temporis vndecima hora, quæ & ipſa ratione annorum reliquorum Millenariorum propemodum finita eſt, ad decem minuta vſq; ſeu decem annos. Igitur judicandum horologium abſolutum & veſperam diei iam adventaſſe.

De Monarchijs.

In Monarchijs notandum, ſi primam ſpectemus, & numerum annorum à Nimrod, qui primus regnare cœpit, ad Cyrum vſque deducamus: Aequales ferè nunc eſſe vltimæ Monarchiæ annos. Prima autem Monarchia conſtat ex 1644 annis, quos ſi à Iulio Cæſare numeremus ad noſtra tempora, incidunt in Annum Chriſti 1600. circiter, in primi quadragenarij à Stella criticos, diverſo tamen reſpectu, quod quemadmodum prima paulatim crevit, donec ad ſummum faſtigium pervenit: ita vltima ab initio in vigore conſtituta, decrementum paulatim ſumpſerit, donec

à ver-

à Vertice & Capite Aureo, Pectore & Brachijs Argenteis, Ventre & lateribus aëreis, Cruribus & Pedibus ferreis ad fictiles & eorum Digitos perventum sit, à Capite videlicet ad Calcem.

Cum verò tot Annis nunc versetur Ecclesia in quarta Monarchia, quot stetit Synagoga Iudæorum, cuius finis sub Vespasiano Cæsare incidit in principium quartæ huius Monarchiæ, vt nos in finem nunc eiusdem cadimus. Quare sicuti Anno Synagogæ 1580. circiter (quo tempore omninò occupata est, & eversa Iherusalem a Tito Vespasiani filio) fuerunt octo Cæsares, (nam Galba, Otto & Vitellius pro vnico saltem & septimo hîc habendi, cum vno & eodem tempore Imperio præfuerint.) Ita à nostro tempore numera totidem Imperatores retrorsum: & Genus, & Nomen, & Numen, & Omen habes. Et sicuti tum temporis in Imperio Romano Vitellius in inferiore Germania Coloniæ electus ab Exercitu contra Ottonem & Galbam, multarum Turbarum & magnarum cædum causam dedit: ita quid nunc similibus prorsus existentibus causis, ex Gubernaculo inferioris Germaniæ futurum sit & expectandum, tempus dabit & patefaciet. Tu tamen ex Typo iudicato Antitypon vidctorem fore TITVM VESPASIANI F. expressum sub finem alterius Chasmatis Anni 1575 (quod totum ad Belgicæ iam præsentem statum turbulentissimum refertur) per MONTEM illum ARDENTEM, insigni specie, constantique iubare cinctum, qui ab Ortu (quo Cometa etiam Cauda sua respiciebat, vt ille Anni 1556 in Hispaniam) versus Occasum progrediebatur, motu admodum lento, tandemque in occasus regione firmabatur. Cui etiam adstipulatur Sybilliacum illud, quod Anno 1520 in Helvetia inventum, inter descriptionem exactam Stellæ & Cometæ nostri, ita pronunciat de Gubernaculi habenis. Sed vincet tandem AVITI SANGVINIS PRONIS PAGO, quæ eousque annorum vi progredietur, donec fata contraria fatis obstiterint, id est, donec lapis revulsus absque manibus, contuderit Statuæ pedes ferreos atque fictiles, eamq; prorsus comminuerit & contriverit. Daniel. 2. 8.

Analogia principij & finis.

Typus.

ἀντίτυπον

Cornel. Gemma in scripto de Cometa 1577. Monarcha designatur. 7. vel 9. à stella critico anno.

Cornel. Gemma 2 Cosmocrit. 3.

De Henoch & Helia.

Iudas in Epiſtola ſua non ſine cauſa prædicat Henoch ſeptimum ab Adamo.

Prima enim generatio eſt Adam.
Secunda Seth.
Tertia Enos.
Quarta Cainan.
Quinta Mahalaleel.
Sexta Iared, quæ omnes mortuæ ſunt:
Septima Henoch mortem non guſtavit.
Sic ſeptimo ſæculo Helias venit.
Sæculum autem eſt quamdiu homo vivit. Vixit itaq;
1. Adam ad Methuſalem:
2. Methuſalem vſque ad Sem:
3. Sem vſque ad Iacob:
4. Iacob vſque ad Amram:
5. Amram vſque ad Ahiam Silonitem:
6. Ahias vſque ad Eliam, qui & ipſe Septimus fuit & translatus igneo curro.

Sic ſeptima Mundi ætate Iohannes Baptiſta venit in virtute Heliæ.

Prima autem ætas ab Adamo ad Nohe, continet mille annos:

Auguſt. 13. quæſt: lib. quæſt. 58.

Secunda à Nohe ad Abraham 1000 annos.
Tertia ab Abraham ad Moſen 500 annos:
Quarta à Moſe & egreſſu filiorum Iſraël ad Davidem vel ad ædificationem Templi primi 500 annos:
Quinta, à David ad tranſmigrationem Babylonicam vel ad reſtaurationem alterius Templi, 500 annos.
Sexta, à Transmigratione Babylonica ad Chriſtum 500 annos continet:

Septima igitur ætas eſt, qua Iohannes Baptiſta prioris Chriſti adventus præcurſor fuit, quæ extendi poteſt ad finem Mundi vſque, vel ſecundum Sybillam Babylonicam in quatuor ætates dividitur. Vt Septima ſit à CHRISTO & Iohanne Baptiſta

tiſta vſque ad Exarchatum in Italia & initia Regni Longobardici: poſtquam ſubinde Italia vaſtata fuiſſet, & Roma everſa à Gotthis & Vandalis, 500 annorum.

Octava ætas ab illo tempore ad inſtitutum Electoratum ſub Ottone tertio 500. annorum.

Nona, ab Electoratu ad Carolum Quintum, 500 annorum.

Decima ætas à Carolo Quinto ad finem Mundi vſque, ſub cuius finem cum Sybilla Thesbiton ponat, alterius adventus Chriſti præcurſorem vltimum, cum videlicet ſeptimus Angelus Apocalypſeos tuba canere cœperit: agedum Septenarium numerum ab Adamo ad illum deducamus. Apocal. 10. 12. 14.

Invenietur verò in Converſionibus Cœli magnis & mutationibus aquei trianguli in igneum, quæ 800 ferè ſemper annis recurrunt.

Prima autem converſio ab Adamo in Henoch perficitur:

Altera in Nohæ:

Tertia in Moſe:

Quarta in Regibus Iſraël:

Quinta in Chriſto:

Sexta in Carolo Magno:

Septima igitur iam nunc perficietur, vix 6. annis differens à Periodo.

Quod ſanè maximum ſignum eſt, finem Mundi inſtare & ſecundum Chriſti adventum, Planetis adhuc in igneo triangulo congredientibus.

Sicuti autem duo priores Henoch & Elias in medio ferè ſuorum Millenariorum Vacui & Legis fuerunt: ita primi adventus Chriſti præcurſor in principio Gratiæ extitit, vt alterius in vltima ætate ſeptima Cœli converſione paracta expectatur, & ab Auguſtino in ſpiritu Enoch & Heliæ prędicatur. Vt decrepita iſta Mundi ſenecta exteriore homine corrupto, interiore verò de die in diem renovato, præparemur ad alterum & æternum ſeculum, quod requiei eſt & Sabbatho ſignificatur: planis deinde factis ſemitibus, & via ſtrata regia liberior ex hoc in illud tranſitus fiat, dum huius finis principio alterius correſpondet, omniaq; iuſto

cohærent ordine. Vt tandem, quemadmodum primi duo Henoch & Elias vivi in Cœlum rapti sunt: & sub alterius adventum deinde Christus primogenitus ex mortuis factus, & ad dextram Patris sublatus: Sic etiam nos in novissimo die virtute illius resuscitati, alij verò subitò transmutati, obviã illi eamus, qui in nubibus cum claritate venturus ad judicandum vivos & mortuos, Regnum deinceps Patri traditurus est, vt sit Deus omnia in omnibus, cui laus, honor & gloria ab hinc & in omne ævum, AMEN.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155607-p0072-6

ANDREAE DVDITII

SPHÆRA NOVA COMETARVM ET MIRA

SPHÆRA NOVA COMETARVM ET MIRA-

CVLORVM DEI, AVTHORE MEDICO HELISAEO ROESLIN.



Uf 542

X 2203497

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155607-p0078-0

THEORIA NOVA COELESTIVM METEΩPΩN, IN QVA EX PLVRIVM COMETARVM PHOE-

nomenis Epilogiſticῶs quædam afferuntur, de novis tertiæ cuiuſdam Miraculorum Sphæræ Circulis, Polis & Axi:

SVPER QVIBVS COMETA ANNI M. D. LXXVII. nouo motu & regulariſſimo ad ſuperioribus annis conſpectam Stellam, tanquam ad Cynoſuram progreſſus, Harmoniam ſingularem vndiq; ad Mundi Cardines habuit, maximè verò medium Europæ, & exactè Germaniæ Horizontem non ſine numine certo reſpexit.

Authore Heliſæo Rœslin, Medico Tabernis Alſatiæ.

ARGENTORATI.
Excudebat Bernhardus Iobinus.
M. D. LXXVIII.